PROVERBIA SOLOMONIS

Latino Carmine REDDITA.

PROVERBIA
SOLOMONIS
Latino Carmine
REDDITA.

2. 40. 79

Cato Divinus:

SIVE,

PROVERBIA SOLOMONIS

Latino Carmine REDDITA.

Autore *GULIELMO HOGÆO.*

LONDINI:
Prostant venales apud *Thomam Cockerill*, in vico *Warwick-Lane*, prope vicum *Pater-Noster-Row.*
MDCXCIX.

830:04

AD

Excellentiſſimum, Nobiliſſimum,
Illuſtriſſimúmque

THOMAM,

COMITEM

Pembrokiæ & Montgomeriæ,

Privati Sigilli Cuſtodem, Unum ex Proregibus Angliæ, à Rege Gulielmo Deputatis, &c.

Dynaſta omni virtutum genere Ornatiſſime,

NISI tu hoc ſæculo viveres, & nonnulli alii ex Nobilitate, iique paucissimi, rem haud abſurdam faceret, ſiquis Candelam diurno tempore accenderet, ad fautores & patronos eruditionis inter Proceres conquirendos,

quirendos, sicut olim Diogenes fecit, ad quærendos homines. Tuum in literas amorem, tuam in literatos benevolentiam omnes qui te norunt, habent perspectam, & admirantur: Hoc facit, ut viris eruditis nomen tuum clarissimè innotescat, & laudes tuæ per rempublicam literariam latè diffundantur. Animi tui nobilitas quam aptè & concinnè generis nobilitati & splendori respondet! Quinimo omnibus tuis majoribus Virtute præluxisti,

Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cælo, tenebrásque resolvit.

Tanta est Ingenii tui longè præstantissimi perspicacia, ut in abstrusissima rerum mysteria facilis tibi pateſcat aditus: Tam admiranda est memoriæ tuæ fœlicitas, ut quicquid in ejus thesauro diligentissimè reposuisti, firmiter retineas. Et industria ingenii ac memoriæ fœlicitati adjuncta, omni

eruditionis genere te expolivit, & adornavit: Et perinde amas & æstimas eruditionem, quæ nullos habet contemptores, nisi ignaros & imperitos: His tu præclaris animi dotibus exornatus, communem te præstas omnibus eruditis Patrem, & Patronum. Omnes viros doctrina illustres benevolentia complecteris, & qui egestate laborant, iis benignè opem impertiris. Et ne ulli hominum generi cæteræ tuæ Virtutes sint invidiosæ, Morum tuorum suavitate & comitate omnibus te reddis carum & venerabilem. Nam abhorres ab omni fastuosa arrogantia: Et vel infimis de plebe, si quando ita tempus & res postulant, facillimum concedis accessum. At mihi adeo benignum & benevolum te exhibuisti, ut magnopere gaudeam hanc meæ ob multa & magna tua in me collata beneficia Gratitudinis publicè testandæ opportunitatem mihi contigisse. Quapropter oro & obsecro, hanc meam Proverbiorum Solomonis Translatio-

nem Poëticam & Paraphrasticam, tibi dedicatam, pro tua humanitate & in pietatem & Sacras literas amore benigne accipias. Deus æternus te diu servet incolumem, bonis Præsidium, egenis Tutorem, eruditis Patronum, Nobilitatis Anglicanæ Gloriam, & Illustrissimum Patriæ tuæ Ornamentum: Et post spacium vitæ caducæ peractum, in Sedes beatorum sempiternas recipiat.

Dynasta Excellentissime atque Illustrissime,

Sum Servus tibi obsequentissimus,

Gulielmus Hogæus.

AD

Excellentiſſimum, Illuſtriſſimúmque

Comitem Pembrokiæ, &c.

Ἐγκωμιαστικον.

NUnc vires, mea Muſa, tuas, tua robora tenta,
Nunc age ſiquid habes vivi, mea Muſa, vigoris,
Pierio cane digna choro, cane digna triumphis
Caſtalidis, altóque refer ſubnixa cothurno
Pembrokii Herois decus, & venerabile nomen.
Stemmatis altus honos, ſigna eſt in origine gentis
Gloria, ſiquid habent titulorum inſignia laudis,
Innumeris deſcendit avis, ſed nomen avorum
Obſcurat, radiiſque ſui fulgoris obumbrat,
Lumina ſydereas veluti Solaria turmas.
Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus.
Ingens frontis honos, non duro horrore minacis,
Nec fractâ gravitate levis: procera ſtaturæ
Formia, heröa decens: linguæ miranda benignæ
Gratia; prompta manus miſeris ſuccurrit, egenis
Atque miniſtrat opem: vaſtum quis carmine digno

Ingenium celebret? flavæ fuit ille Minervæ
Excultus ſtudiis, (animum ne ſtemmata vincant)
A puero, Latiiſque ſimul Graiiſque Camænis,
Queis matrem haud abs re priſcorum carmina vatum
Mnemoſynen faciunt. Memori quam mente recondit,
Quicquid in innumeris oculo properante libellis
Pervolat, & quicquid trahit aure ex ore loquentis?
Omnia Mnemoſyne ſervat fidiſſima cuſtos.
Nec minus interea bellorum & pacis agendis
Utilis eſt rebus, ſed ad alta negotia promptum
Excitat ille animum, cæptiſque ingentibus inſtat,
Nec torpere gravi patitur ſua corda veterno.
Eſt autem ingentes inter celeberrima laudes,
Relligio, & ſancta æterni reverentia Patris;
Nam contempta aliis Procerum de ſemine multis
Sacra oracla manu aſſiduâ verſavit, & altâ
Mente Dei leges, venerandáque jura revolvit.
Omnibus atque patrum titulis & honoribus altis
Judice, verus amor Chriſti præponderat, illo.
Fæmineam ceu pictor avens ornare figuram,
Reſpicit innumeros attento lumine vultus
Gentis fœmineæ, & ſparſos per multa lepores
Corpora tum tabulâ pariter commiſcet in una:
Sic etiam (nam parva licet componere magnis)
Sic pater ille Deum, qui condidit omnia, multis
Quæ variè dedit ille viris, tibi contulit uni,
Pembrokiæ venerande Comes, lux clara Britannûm.
Juſtitia & probitas cum manſuetudine dulci,
Et puræ pietatis amor ſe æqualiter in te

Oſten-

Oſtendunt, paritérque tuum decorantia vultum,
Pectoris indicium, angelico fulgore coruſcant.
Odiſti omne nefas, ut ameris amabilis eſſe
Toto corde ſtudes, namque hæc tibi grata voluptas.
In genus omne hominum placido te pectore præbes;
Sed tamen ante alios doctorum amplectere turbam.
Doctrinam colis atque foves, nec ſit tibi vilis,
Si quando laceri effulget ſub tegmine panni.
Et natura ſuas quanquam tibi ſórſque benignè
Accumlârit opes, & adornet pectora virtus:
Inſanus tibi faſtus abeſt, nec fronte clientem
Durâ abigis tenuem, ſed adauget cætera laudum
Quæ generoſam habitat manſueta modeſtia mentem.
Hinc mediæ quamvis vigeas jam in flore juventæ,
Laus tua clara ſenes longè ſupereminet omnes.
Hinc quoque fama tui Terræ non clauſa Britannæ
Limite, vaſta maris liquidi trans æquora currit,
Seque per innumeras terrarum exporrigit oras,
Quas Sol mane oriens, quas ſpectat nocte recedens.
Hinc plebs te, & proceres, hinc Rex Gulielmus honorat:
Ille tui mirâ eloquii dulcedine captus,
Legatum Batavas te tendere juſſit ad oras,
Unde iterum in Patriam multâ cum laude rediſti,
Paciferæ frontem foliis redimitus olivæ.
Propterea ex illis nunc te magnatibus unum
Conſtituit, queis frœna ſui committere regni,
Queis minimè dubitat ſéque & ſua credere cuncta.
Eheu! nunc mea corda tuæ ſub pondere laudis

Preſſa

Oſten-

Preſſa labant, animique aciem tua gloria noſtri
Corporeos ut flamma oculos Phœbæa retundit.
Nec laudes mea Muſa tuas, nec Nereos undas,
Gramina nec numero, nec arenam includere certo,
Æthereis nec ſparſa poteſt vaga ſydera campis.
Nunc igitur quæ fauſta precer? quibus æthera votis
Pro te ſollicitem, procerum de ſtirpe Britannâ
Gloria? jucundum peragas fæliciter ævum:
Nec te fata citò abripiant, nec deſere terram
Humanam, ut ſuper aſtra voles æterna, priuſquam
Tempora Neſtoreæ ſuperaris longa ſenectæ.

Libenter obtulit

Gulielmus Hogæus.

PRO-

PROVERBIA SOLOMONIS,

Latino Carmine REDDITA.

CAP. I.

DAvidis ille ſatus generoſo ſanguine, Terram
Qui latè Iſacidum magnâ ditione tenebat,
Hæc tibi, poſteritas, Solomon dedit aurea dicta.
2 Ut diſcant homines ſapientum noſcere voces,
Ingeniíque acie recto diſtinguere pravum.
3 Ut pia jura colant, ſanctarum & dogmata legum,
Juſtitiæque viam conſtanti tramite carpant.
4 Diſcat ut ignarus rerum, prudenter agendi
Rectam intrare viam, firmóque inſiſtere greſſu,
Canitieſque animi mentum juvenile coronet.

5 Audit ubi ſapiens avidâ cum mente ſciendi
Dogmata recta, ſuas pariter demittit in aures
Atque animum, ſtudiique ſui dulcedine tractus,
Viſa obſcura prius, clarâ ratione prehendit,
6 Verbaque Rhetoricis diſcit velata figuris,
Et vocum ambages, tenebroſaque noſcere dicta.
7 Principium domini timor eſt & origo ſciendi;
Sed monitus ſcelerata pios veſania temnit.
8 Conſiliis aures adhibe, puer, ergo paternis,
Maternamque animo legem ne ſperne ſuperbo.
9 Nam tibi formoſæ cingent de more coronæ
Tempora, & ut rutilæ decorabunt colla catenæ.
10 Te, puer, ergo ſuis ſibi ſi turba impia tentat
Attrahere illecebris, tu ne male credulus audi.
11 Talia ſi dicant, nobis te adjunge ſodalem:
Clam ſtruere inſidias, alienæ & retia vitæ
Sternere certa ſedet noſtræ ſententia menti,
Et ſubito innocuum ferro invaſiſſe cruorem.
12 Haud ſecus ac gelidi quos mors ſub mole ſepulchri
Obruit, hos avidè patulo ſimul ore voremus.
13 Ingentes rapiamus opes, ſemperque recentes
Convectare juvet prædas, & vivere rapto,
Noſtraque ſic ſpoliis tecta implebuntur opimis.
14 Tu quoque communem nobiſcum aſſumere ſortem
Incipe, quicquid erit, loculo cumulabitur uno.
15 Horum congreſſus, moneo, fuge, nate, pedemque
Tu procul his averte tuum, quamcunque videbis
16 Ire redire viam. Pedibus pernicibus illi
In ſcelera atra ruunt, properantque haurire cruorem.
17 Retia ſtructa ſibi volucris dum lumine cauto
Reſpicit, illa ſui viſa inſtrumenta pericli,
18 Decepto latrone, fugit: minus ergo ſagaces
Pennigeris hi ſunt gregibus; ſibi namque ruinam

Sponte

Sponte parant, monſtrata alacres dum in retia currunt,
Exultantque ſui miſerâ dulcedine lethi.
19 Hanc ſolet ire viam ſitis inſatiabilis auri,
Et nummi furioſa fames, quæ neſcia vinci,
Crudelem maculat dominorum ſanguine dextram.
20 Ecce æterna dei in plateis ſapientia voces
21 Intonat; inque foro, templiſque exclamat in altis,
Conſul ubi prætórque ſimul ſanctúſque ſenatus
Conſidunt tectis bipatentibus, undique mixtâ
Circumſtante virûm pariter nuruûmque coronâ.
22 O hominum gentes maleſanæ! O mentis inanes
Ecquod erit tempus ſtolidis abſiſtere factis?
Tandem an ludibriis ſanctos vexare protervis
Definitis? ſacrámque dei contemnere legem?
23 En agedum monitis aures advertite noſtris,
Pectora veſtra meo afflatu rediviva vigebunt,
Mortua quæ fuerant, & vos mea verba docebo.
24 O quoties altâ ſceleratos voce vocavi,
Extendique manus! tamen hi ſprevêre vocantem,
Nec voluêre ſuam vitiis avertere mentem.
25 Conſiliiſque meis aurem occluſêre malignam,
Et mea dicta vagis tradebant irrita ventis.
26 Vos ego contemnam, veniunt cum adverſa, viciſſim,
Ridebóque graves miſeranda in ſorte dolores,
27 Cum ſubitus timor atque metus trepidantia prendet
Pectora, ut horriſoni rapido cum turbine venti.
28 Impia tum incipiet miſeris plorare querelis
Turba, ſed iratam abſcondam plorantibus aurem.
Tum quoque ſollicitâ incipient me quærere curâ,
Sed minimè invenient, fruſtra labor ille peribit.
29 Me quia noſſe animo elati ſprevêre ſuperbo,
30 Nec numen timuêre meum; aut voluêre benignam
Conſiliis monitiſque meis advertere mentem.

31 Pro ſemente metent igitur, fructúmque laboris
Accipient, finémque ſuo conamine dignum.
32 Nam perimet ſtolidos odium pietatis, & illos,
Proſpera fata dabunt letho, pariéntque ruinam.
33 At mihi ſpes & opes quiſquis commiſerit omnes,
Præſidio ille meo per tempora cuncta manebit
Tutus, & in mediis, vacuus terrore, periclis.

C A P.

CAP. II.

SI mea verba, puer, cupidâ bibis aure, profundo
Nocte diéque meas volvis ſi corde loquelas;
2 Irrita ventoſis nec das præſcripta procellis,
Quæ divina tibi ſapientia dictat, & omnem
Exerces animi capienda ad recta vigorem;
3 Si palmas cum voce tuas ad ſydera tendens,
Supplice corde Deum, precibuſque ardentibus oras,
Ut divina tibi myſteria pandat, abactis
Errorum ut nebulis poſſis diſcernere rectum.
4 Si tibi ſcrutinio petitur ſapientia multo,
Qualiter occulto terrarum in viſcere gazas
Effodit Aſſyrii ſcrutator pallidus auri.
5 Tunc domini ſacrum dabitur tibi noſſe timorem,
Et fontes penetrare boni, tenebríſque remotis
Tollere perſpicuos animi ad cœleſtia viſus.
6 Omnipotentis enim domini ſapientia donum eſt,
7 Hujus ab ore fluit; ſanctorum hanc ille recondit
Pectore, queis via recta placet, nec decipit error.
Hos facit ille ſui tutos munimine ſcuti;
8 Et, quæ ſit via recta, docet, lucémque miniſtrat,
Suppeditatque novas, poſſint ut pergere, vires.
9 Tunc jus faſque tibi & pietas manifeſta patebit,
Cuncta ſalutiferæ pandens compendia vitæ.
10 Cum divina tuum intravit ſapientia pectus,
Allexitque animum mirâ dulcedine captum.
11 Hâc duce, tutus eris procul à terrore pericli,

12 Hâc duce congreſſus hominum vitare malorum
Tu poteris, quos prava loqui juvat ore maligno.
13 Queis via recta odio eſt, tenebroſum at carpere callem
14 Dulce; voluptatem quibus impia facta miniſtrant,
Et vitiis fœdare manus, ſocióſque profanæ
15 Impietatis amant; curvíſque anfractibus illos
Nequitiæ deerrare juvat, pietate remotâ.
16 Hâc duce, fœmineæ fugies venabula linguæ.
17 Fœmina falſa, Dei neglecto fœdere, dulcem
Non metuit teneræ comitem violare juventæ.
18 Illius ad mortem domus inclinatur, & umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctémque profundam.
19 Illa ſuis quemcunque dolis in retia traxit,
Mortis amore ſuæ retinet, vitæque beatas
Non unquam petit ille vias, errore relicto.
20 Hæc animo mea verba bibas, tecúmque revolvas,
Ut pia jura colas, nec tranſitione maligna
Turba profana tuos juſtorum à tramite greſſus
21 Abſtrahat. Innocuis fraudumque à crimine puris
Proſperitate frui dabitur, terramque colendam
22 Accipient, tutante Deo: ſed ab omnibus oris
Terrarum in Stygias gens prava fugabitur undas.

CAP. III.

HAUD unquam ulla meam tollant oblivia legem
Ex animo, mi nate, tuo, mea juſſa capeſſas
Perpetuò, penitúſque alto ſub corde reponas.
2 Sic tibi pax veniet, placidáque in pace vigeſcens
Vita per innumeros tua continuabitur annos.
3 Te nunquam immaculata fides, animíque benigni
Gratia deſtituant, cordis tu inſcribe tabellis
Has memor, atque tuo fiant redimicula collo.
4 Sic tua te gratum Regi ſapientia reddet
Ætheris, humanamque trahet tua gloria gentem.
5 Te totum committe Deo, atque innitere, ſed tu
6 Judiciis diffide tuis; & conſule, quicquid
Aggrediare, Deum: eventus dabit ille ſecundos,
Diriget ille tuos cœleſti numine greſſus.
7 Tu ne fide tuis (tua nam prudentia vana eſt)
Conſiliis, reverere Deum, ſcelus effuge dirum.
8 Hoc dabit & membris vires, animóque vigorem,
Jucundóque tuos recreabit fomite nervos.
9 Primitias frugum domino, dulciſque lyæi
Et quicquid fœcundus ager tibi protulit, offer.
10 Sic tua maturæ complebunt horrea meſſes,
Spumabítque tibi plenis vindemia labris.
11 Cum tua proſequitur meritis facta impia pœnis
Rex ſuperûm, faſtus animi depone rebelles,
Abjice nequitiam, ſceleratáque facta relinque,
Nec pigeat ſævos patienter ferre dolores.

12 Nam quos præcipuo complectitur ille favore,
Plectit, ut ipſe ſuum genitor pro crimine natum,
Quippe paternus amor, cum res ita poſtulat, urget.
13 O fœlix, qui te reperit ſapientia, rerum
Optima, quique ſuâ te ſacra ſcientia dextrâ
14 Attigit! O niveis quam longè eſt illa metallis
15 Et rutilis pretioſa magis, potiórque lapillis,
Legit in Eöis quos decolor Indus arenis,
Et quæcunque tuo eſt animo jucunda voluptas!
16 Illius in dextrâ longorum eſt vita dierum,
Lævâque divitiis opibuſque oneratur opimis.
17 Elyſiis via ſtrata roſis illius abundat,
Et quemcunque movet, ſequitur pax proſpera, greſſum.
18 Illa ſui cupidis eſt vitæ nobile lignum,
Et fœlix, quicunque illam retinere laborat.
19 Fundavit per te dominus, ſapientia, terram,
Altáque ſyderei ſtabilivit mœnia regni.
20 Per te laxa fluunt vaſti vada ſalſa profundi,
Atque excelſa novum deſtillant nubila rorem.
21 Ante oculos tibi lex domini verſetur, & omni
Tempore, vivendi quam dat ſapientia normam
22 Sis ſervare memor. Decus admirabile collo
Hoc fiet, mihi crede, tuo, vitæque voluptas.
23 Te facit hoc tutas, greſſum quocunque movebis,
Ire redire vias, prohibetque per invia plantas,
24 Offenſo titubare gradu. Cum nocte recumbes.
Non metus ullus erit. Cum languida membra reſolvit
Prima quies, donóque Dei gratiſſima ſerpit
Nulla tibi placidos rumpet cura anxia ſomnos.
25 Ne ſubito terrore tremas, vaſtæque ruinæ
Exagitet tua corda timor, velut impius horret,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
26 Nam cuſtos tibi ſemper erit Rex ætheris alti,
Ne ſubito in cæcos laqueos & retia greſſum

Involvas

Involvas inopina tuum, captuſque traharis.
27 Officii mora lenta tui ne differat horam,
Quod præſtare potes, nullo impediente, roganti.
28 Cur ita ſollicitum miſeris in rebus amicum
Compelles; abeas hodie, cras deinde redito,
Copia larga tuam nummorum ubi degravat arcam?
29 Ne ſocio meditare dolos, quando ocia carpit
30 In laribus tibi vicinis; hominiſque beatam,
Qui nunquam tibi damna dedit, ne rumpe quietem.
31 Tu nunquam invideas pravis, ſcelerumque miniſtris,
Illorúmque vias animo averſare malignas.
32 Nam domino impietas odio eſt, verùm ille piorum
Mentibus alta ſui retegit myſteria regni.
33 Devovet ille domos, atque ardua tecta malorum,
Atque favore ſuo juſtorum habitacula ſervat.
34 Proſequitur meritis faſtoſos ille cachinnis,
Sed placidis animo contritum ſpectat ocellis.
35 Gloria prudentes merces æterna ſequetur;
Dedecus atque pudor ſtultos pro laude manebit.

CAP.

CAP. IV.

AUrem adhibete patri, ſoboles dilecta, docenti,
Conſiliiſque meis intentam advertite mentem.
2 Optima do præcepta, meam ne ſpernite legem.
3 Nam proles dilecta patri & cariſſima matri
Ipſe fui; monitiſque bonis me inſtruxit uterque.
4 Talibus illa meam ſermonibus imbuit aurem,
Corde memento meas voces retinere, libenter
Obſerva mea juſſa, dabunt ſervata ſalutem.
5 Diſce quid eſt virtus, & poſce exemplar honeſti,
Nec deflecte tuas noſtris à vocibus aures,
6 Ne contempta tibi jaceat ſapientia, tutrix
Sic erit illa tibi: toto ſi amplecteris illam
Pectore, in innumeris te proteget illa periclis.
7 Præcipua eſt rerum ſapientia, quicquid ubique
Quæris, ad hanc animum quærendam dirige certum.
8 Hanc reverenter habe, ſic te in ſublimia tollet;
Hanc avidis ulnis amplectere, ſic tibi nomen
Præclarum, eximióſque tibi concedet honores.
9 Illa tuo capiti decus admirabile reddet,
Regificóque tuum cinget diademate crinem.
10 Aurem adhibe monitis, nate O cariſſime noſtris,
Sic tua longævos vita extendetur in annos.
11 En ego, vivendi quam dat ſapientia normam,
Te docui, & rectos monſtravi inſiſtere calles.

12 Cum gradiere, tuos greſſus mora nulla tenebit,
Nec, lapſu minitante, gradus currendo lababunt,
Cum tibi pes agilis rapido volat ocyor Euro.
13 Juſtitiam, rectique viam amplexare, nec illam
Deſere, conſtantique animo retinere labora;
Namque eſt illa tuæ columen, tutelaque vitæ.
14 Tu ſceleri addictæ callem ne attingito turbæ,
Semita neve tibi carpatur dira malorum.
15 Hanc fuge præteriens procul, averſúſque recede.
16 Nam, nili quid patrent ſceleris, dormire recuſant,
Et nunquam admittunt oculis aut pectore ſomnum,
Clam niſi ſtructa aliquem cadere in ſua retia cogant.
17 Impietate dapes etenim & convivia quærunt,
Innocuóque bibunt vinum ſibi ſanguine partum.
18 Sed via juſtorum lucis nitet inſtar Eöæ,
Quæ magis atque magis claro ſplendore refulget,
Donec ad ætherii pervenit culmen Olympi.
19 At via pravorum tenebroſæ eſt æmula noctis,
Nam titubante gradu, oppoſito nullo obice, nutant.
20 Mi puer, aurem adhibe noſtris, animumque loquelis,
21 His oculos ne averte tuos, medióque repôſtas
22 Corde reconde tuo: vitam invenientibus ipſas
Reſtituunt, lætúmque novant per membra vigorem.
23 Cor ſervare tuum memor eſto: hinc flumina vitæ
24 Proſiliunt, pravas animo averſare loquelas,
Impia nec ſtolidis vomito maledicta labellis.
25 Verum & rectum oculis intentus reſpice fixis,
Et calcanda tibi quo ſit via, dirige vultum.
26 Et greſſum perpende tuum, ut veſtigia firmes.
27 Ne te in læva trahat vel dextera devius error,
Atque averte tuos procul omni à crimine greſſus.

CAP.

CAP. V.

AUrem animúmque meis adhibe, mi nate, loquelis,
2 Ut tua corda colat ſapientia ſacra, labellis
3 Inſideatque tuis. Meretrix dulcedine vocis
Mella refert, mollíque excellit balſama lingua.
4 Hujus amara tamen, ceu tetra abſynthia fiunt
Ultima, & ancipitem ſuperant ſcindendo bipennem.
5 Hujus ad Infernas tenebras, Stygiámque paludem
6 Pronum tendit iter: quam callida ludit amantes?
Innumeras habet illa vias captiva tenendi
Pectora, ne redeas vitæ ad melioris amorem.
7 Ergo adverte animum, fili, mihi recta monenti,
Nec mea dicta nega placidam demittere in aurem.
8 Hanc procul effugias, propius nec limina diræ
9 Accedas ſcelerata domus: ne invadat honorem
Dextra aliena tuum, longo tibi tempore partum.
10 Neve aliena tuos prædentur tecta labores,
Divitiíſque opibúſque tuis exculta niteſcant.
11 Tum certè miſero grave lamentabere queſtu,
Corpora tabificis ubi ſunt exeſa venenis.
12 Heu mihi! tum dices, cur verba ſalubria ſprevi?
Obſtruxíque meam ſanis monitoribus aurem?
13 Cur ego neglexi recta obſervare docentes,
Monſtrantéſque mihi vitæ præcepta beatæ?
14 Cætibus in mediis hominum, populíque catervis
Crimina noſtra gravem attulerant pateſacta pudorem.

15 Tu

15 Tu bibe fonte tuo, quantum præcordia poſcunt,
Sumpti ex amne tuo latices tibi guttur inundent.
16 Tu fontes diſperge tuos, tua lympha redundans
Scindat in innumeros ſeſe per compita rivos.
17 Flumina ſola tibi tua conjugialia durent,
Neve aliena tuas prædetur dextera lymphas.
18 Fons tuus inſigni domini bonitate redundet,
Gaudia legitimi carpas juvenilia lecti.
19 Sit cervæ illa tibi, blandæque ſimillima damæ,
Gaudia, lacteolis tribuat tibi mille, papillis.
Perpetuáque animum teneat dulcedine raptum.
20 Nam tibi cur meretrix, alieni ſuccuba lecti
Pectora mellifluis fallat corrupta venenis?
21 Nam videt ex alto divûm pater atque hominum rex
Res hominum, atque oculis ſpectat mortalia juſtis.
22 Impietate ſuâ cadet impius, atque jacebit
In laqueis miſer ipſe ſuis; &, imagine falsâ
In cæcos fraudum anfractus ducente, peribit.

CAP.

CAP. VI.

SI vice dilecti tu forſitan obſes amici
Factus eras, junxtíque datâ nova fœdera dextrâ,
2 Heu mihi! nate, tuis cecidiſti in retia verbis,
Implicitúſque tuo laqueis ſermone teneris.
3 Hoc age, mi fili, totámque huc dirige mentem,
Captus ubi miſeri laqueis hærebis amici.
Téque illúmque ſimul concordi fœdere pacto
4 Hoſti adjunge tuo: nec te ſopor occupet ullus
Ante, nec in miſeros obrepat ſomnus ocellos.
5 Hoc age, téque cito venientibus eripe damnis.
Venantis tremebunda manum ceu cerva rapacem
Præcipitata fugit, laqueos velut aucupis arctos
Effugiens volucris rapidâ petit æthera pennâ.
6 Parvula (nonne vides?) magni formica laboris,
7 Aſpice, ſponte ſuâ, nullo duce, præſide nullo,
8 Ore trahit, quodcunque poteſt, atque addit acervo,
Æſtiviſque legit victum ſibi gnaviter horis.
Hanc adeas, durúmque pati ſic diſce laborem.
9 Heu piger! in quantas redivivi luminis umbras
Extentus tibi ſomnus erit? proh! quando ſoporem
10 Excuties? duri impatiens tunc ille laboris,
Talia ſecum agitans tacito ſub corde revolvit:
Da paulùm laſſos oculos ſubmittere ſomno,
Da paulùm nutare mihi, nervóſque ſopore
Tendere defeſſos, veteréſque reſumere vires.

11 Sic tibi paupertas, tibi ſic penuria rerum
Ut latro inſtructus gladio & fulgentibus armis,
Stulte ſuperveniens, miſeram damnare quietem
Coget, & innumeris Cœlum lacerare querelis.
12 Vir malus, addictus ſceleri, circum ambulat ore
13 Vaniloquo ; paritérque oculo, digitóque loquaci
14 Et pede ſignificat. Taciturno in pectore fraudes
Ille fovet, nectítque dolos, disjungit amicos.
15 Mox igitur præceps ſubitâ cadet ille ruinâ,
Atque in fata ruens, nullo impediente, peribit.
16 Hæc ſex Omnipotens, ſeptem hæc pater ætheris odit,
17 Faſtoſúmque ſupercilium, falſámque loquelam,
18 Innocuóque manum fœdatam ſanguine, pectus
Fœcundum ſceleris, ſubitò quoque facta ruentes
19 In ſcelerata pedes, pronum in mendacia teſtem,
Quique maligno animo fidos abjungit amicos.
20 Aurem adhibe monitis intentam, nate, paternis,
Maternámque animo legem ne ſperne ſuperbo.
21 Hæc tua perpetuis circum ſint nexa catenis
Pectora, ſíntque tuo veluti redimicula collo.
22 Lex ſervata ducem tibi ſe præbebit eunti,
Pérque ſoporiferæ tenebroſa ſilentia Lunæ
Proteget illa tuum, cuſtos fidiſſima, lectum,
Alloquiiſque ſuis vigilantem in nocte juvabit.
23 Lex etenim lux eſt, & ſplendentiſſima lampas,
Conſiliiſque ſuis aures adhibentibus illa
Sancta ſalutiferæ monſtrat compendia vitæ.
24 Ne te decipiat blandæ dulcedine linguæ
Fœmina, adulterii maculat quam infamia fœdi.
25 Nequaquam illa tuum jecur ulceret, inque furorem
Ne trahat illa ſuis tacitè tibi pectus ocellis.
26 Nam meretrix laſciva virum deducit ad imam
Paupertem, paníſque illi vix fruſta relinquit.
Sic parat illa tuæ laqueos & retia vitæ.

27 Quis

27 Quis gremio amplecti flammam queat ignis anheli
28 Veſtibus illæſis? ardeſcentémque favillam
Quis calcare poteſt, plantis non igne peruſtis?
29 Sic qui legitimi ſocialia fœdera lecti
Perrumpens violat, ſcelere haud illæſus abibit.
30 Si bona quis dextrâ capiens aliena rapaci
Auferat, ut mala dura famis compeſcere poſſit,
31 Viſa eſt culpa levis, culpæque accommoda pœna eſt,
Ut ſeptemgeminis compenſet furta tributis,
Si quid, in anguſtis laribus quod reddat, habebit.
32 Aſt is, legitimi violat qui fœdera lecti,
Mente caret, vaſtámque ſibi parit ipſe ruinam.
33 Dedecus ille ſibi parit indelebile, quod non
Longa dies auferre queat; nam flamma virilem
34 Zelotypa invadens animum, implacabilis ardet.
35 Nec pretiis amplis compeſcitur illa, nec ullo
Munere victa jacet, ſævum ſaturata furorem.

CAP. VII.

VOces, nate, meas, animo mea juſſa reconde,
2 Juſſa animo mea conde tuo; ſi cura ſalutis
Ulla tibi eſt, pupillæ oculorum hæc more tenellæ
3 Conſerva; hæc digitis innecte, inſcribe tabellis
4 Pectoris. Et caræ ſapientia more ſororis
Sit dilecta tibi, cognatam hanc ore ſaluta,
5 Ne te in prava trahens alieni ſuccuba lecti
Fœmina, mellifluis corrumpat corda venenis.
6 Namque ego de celſâ latè inferiora feneſtrâ
7 Dum circumſpicio; dum per juvenilia noſtros
Agmina volvo oculos, juvenem ſine pectore, cerno,
8 Qui tendebat iter blandæ meretricis ad ædes,
9 Veſpere nunc primo, repetente cubilia Phœbo
Cærula, nunc mediæ per opaca ſilentia Lunæ.
10 Protinus, ecce, illi meretrix occurrit eunti,
Veſtibus ipſa ſuis cuivis manifeſta videnti,
Nequitiámque profeſſa ſuam. Corde illa doloſo eſt,
11 Ore procax, & mente ferox, nec limine tecti
12 Se tenet illa ſui; triviis ſed in omnibus errat,
Et plateis: illam videt angulus omnis avaro
Prædæ inhiantem animo, tacitáque in ſede latentem.
13 Hunc igitur cupidis juvenem complexa lacertis,
Oſcula blanda dedit, vacuâ tunc fronte pudoris
14 Talia voce refert; Hodie mihi victima cæſa eſt,
Perſolvíque meum, pretioſa piacula, votum.

15 Atque idcircò tuos exivi quærere vultus,
Quæsivi & reperi, pretium mihi dulce laboris.
16 Lectulus, ecce, meus tyrio nitidissimus ostro
Fulget, & in varias effingitur arte figuras.
Atque hic strata jacet Phariæ de vellere lanæ
Vestis, hyperboreas superans candore pruinas.
17 Et myrrhæ lachrymis, casiæque & dulcis amomi
Undique odoriferis oblectat pectora succis.
18 En age per totam carpamus gaudia noctem,
Gaudia, sollicitas placidè mulcentia curas,
Donec ab Eois Sol fluctibus exserat axem.
19 Vir meus, ecce, domo procul est, longámque paravit
20 Ire viam; & loculum tulit ille viatica secum
Ære gravem, cerróque die rursum ille redibit.
21 Sensim his blanditiis juvenilia pectora traxit,
Et parere sibi dulci sermone coëgit.
22 Hanc sequitur tunc ille ducem, ceu taurus ad aram
Sacrificam, ad rigidæ stultus ceu triste catastæ
23 Supplicium sine mente ruit; subitóque paratos
In sibi præcipitat laqueos male cauta volucris,
Nec tum instare suæ videt ulla pericula vitæ:
Hanc sequitur sic ille ducem, cæcóque repente
Transadigente jecur telo miserabile plorat.
24 Ergo animos monitis, O nati, advertite nostris,
Irrita nec vacuis mea verba remittite ventis.
25 Illius aversos removete à tramite gressus,
Neve huc vestra trahat tacitè scelerata libido
26 Pectora, nam innumeros crudeli vulnere stravit
Semianimes, quin innumeros quoque robore firmos,
Perdidit illa viros, & funere mersit acerbo.
27 Illius Infernas domus est quæ ducit ad umbras
Semita, & horrifici tenebrosa cubicula lethi.

CAP

CAP. VIII.

NOnne æterna Dei proles ſine matre creata
Clamat? & elatam fundit Sapientia vocem?
2 Sublimi ſtans illa loco per aperta viarum,
3 Urbis & in portis bipatentibus, agmina denſæ
Quas turbæ celebrare ſolent, ita farier infit:
4 En ego vos, homines mortali ſemine creti,
5 Voce voco. O quid ſit ſapientia, diſcite, ſtulti,
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere numen:
Hæc etenim humani vera eſt ſapientia cordis.
6 Aurem adhibite mihi, pulchra & præclara docenti;
Námque ego de rebus præſtantibus ora recludam.
7 Vera loquar, noſtris odio eſt fraus dira labellis.
8 Omnia juſtitiæ mea ſunt concordia verba,
Nil pravum, nil turpe docent, nil crimine fœdum.
9 Omnia clara viris prudentibus illa pateſcunt,
10 Et facilè apparent ſapientibus: Ergo metallis
Conſilium niveis meritò præponite noſtrum,
Et rutilis, Pactolus aqua quæ divite volvit.
11 Longè eſt Eois potior ſapientia gemmis,
Et quæcunque hominum genti eſt jucunda voluptas.
12 Illa ego, quæ vero ſapientia nomine dicor,
Sanctáque mecum habitat prudentia, tecta revelo,
Abditáque in tenebris reſero myſteria denſis.

13 Ille Dei verus timor eſt, opus omne ſceleſtum
Æternis petiiſſe odiis, ego corde ſuperbos,
Faſtoſúmque ſupercilium, linguámque protervam
Proſequor, atque odiis pariter prava omnia juſtis.
14 Conſilium noſtrum eſt, noſtra eſt ſapientia, veri
Cognitione boni, fórti quoque robore præſto.
15 Præſide me, cincti rutilo diademate reges
Jura magiſtratúſque regunt, ſanctúmque ſenatum.
16 Præſide me, celſo geniti de ſanguine, totum
Quotquot ubique gerunt pacem vel bella per Orbem,
Sub ditione ſuâ populis pia jura miniſtrant.
17 Quiſquis amore mei trahitur, me mutuus ejus
Tangit amor, quicunque petit me pectore puro,
18 Invenit. Immenſis opibus gazíſque redundo.
Eſt quoque noſter honos, & gloria, divitiæque,
Juſtitiâ comitante, meæ ſine fine redundant.
19 Nam meus eſt fulvo fructus pretioſior auro,
Auro, littoreis quod decolor Indus arenis
Colligit, & nivei longè genus omne metalli
Exſuperant noſtri reditus, gazæque repoſtæ.
20 Juſtitiam, rectíque viam, me, me duce, quiſquis
Quærit, eam inveniet, medióque hunc tramite duco
Judicii, legíſque meæ myſteria pando.
21 Hæc facio, ut vero qui me amplectuntur amore
Nanciſcantur opes, & eiſdem in ſæcla fruantur.
22 Me pater Omnipotens longo poſſedit ab ævo
Jampridem, ante operum primordia cuncta ſuorum.
23 Illi olim æternis fueram comes addita ſæclis,
Ante mare & terras & quod tegit omnia cœlum.
24 Æquora vaſta maris, liquidi vada vitrea ponti,
Cum generata fui, primæva ab origine nondum
Emerſêre, cavas néque fons ebulliit undas.

25 Ne

25 Necdum parturiit montana cacumina, necdum
Collibus intumuit vaſtæ nova machina Terræ,
Cum ſibi me æquævam genuit Pater ille perennis,
26 Necdum etiam aerios montes, campóſque jacentes
Terrarum, ille opifex dextrâ Omnipotente creavit.
27 Cum primum ætherii radiantia mœnia regni
Condidit, hic illi pariter comes ipſa ſedebam,
Cum ſuper æſtiferum duo brachia vaſta profundum
Junxit, ut, æquali ſpatio diſtantibus illis,
Altera pars ſtaret, pars altera duceret Orbem.
28 Cúmque ſuis ſtabilita locis cava nubila fixit,
Juſſit & æſtifero fontes exire profundo.
29 Æquora limitibus cum ſæva coercita certis
Continuit, vetuítque datas tranſcendere metas.
Cum jam prima novæ ſtatuit fundamina terræ;
30 Hunc juxta comes uſque fui, comes uſque remanſi,
Una propago mei longo genitoris ab ævo,
Ingens delicium illi, & quotidiana voluptas.
31 Illius ante oculos exultans læta fovebam
Gaudia, dum humanis habitandum gentibus Orbem
Præſcia mecum animo magnâ dulcedine volvo.
Delitiæque meæ fuerant terrena colentes
Arva homines, luteæ facti de pulvere Terræ.
Hæ mihi delitiæ primæ, hæc mea prima voluptas.
32 Ergo meis animos monitis advertite, nati,
Qui mea jura colunt, hi terque quaterque beati.
33 Conſiliis aures (vera hæc ſapientia) rectis
Arrigite, atque animis minimè contemnite vanis.
34 Fœlicem O hominem, mihi qui non denegat aurem,
Quotidiéque meæ procumbit ad oſtia portæ,
Liminis atque mei defixus poſtibus hæret,

35 Nam qui me reperit, vitam ſimul ille beatam
Invenit, æternúmque Dei per ſæcla favorem
36 Obtinet; at noſtri qui irritat numinis iram,
Ipſe ſibi miſer inſidias & retia ſternit,
Et petit ipſe ſuam lethali vulnere vitam.
Qui me odêre, ſuæ capiuntur amore ruinæ.

CAP.

CAP. IX.

ASpice tecta ſibi ſublimibus alta columnis
Septem de Pario Sapientia marmore fecit.
2 Mactatúque ſuo morti ingentes hecatombas
Tradidit, & liquidi variè genus omne lyæi
Miſcuit, & politis inſtravit fercula menſis.
3 Ancillâſque ſuas emiſit, ut undique lectos
Ad lauta invitent homines convivia. Vocem
Urbis in arce ſuam aëriâ ſic fundit, adeſdum
4 O ſimplex animi, ſtolidóque ita farier infit:
5 Veſcere pane meo, varii quoque vina ſaporis
6 Tu noſtrâ bibe miſta manu, ſtultóſque relinque,
Ut vitæ ingrediare vias, & recta capeſſas.
7 Si contemptorem divini numinis ullum
Admoneas, fruſtra effuſus tibi ſermo pudorem
Incutiet, pravæque dabit ludibria linguæ:
8 Si ſtolidum verbis tentas reprehendere, ſævis
Te petet ille odiis; at conciliabis amorem
Tu tibi, prudentem placido ſermone monendo.
9 Suggere conſilium ſapienti, hortatibus ille,
Pulſo errore, bonis tractus, meliora capeſſet.
Imbuto pietate viro documenta miniſtra,
Et pietatis amor flammâ majore caleſcet.
10 Principium domini timor eſt & origo ſciendi,
Et ſanctum noviſſe Deum, ſapientia vera eſt.
11 Nam per me innumeris tua continuabitur annis
Vita, & perpetuo fine fine beabitur ævo.

12 Si ſapias, ſapis ipſe tibi, ſin ſancta piorum
Conſilia abjicias, uni tibi pœna luenda eſt.
13 Stulta eſt mentis inops mulier, linguáque protervâ:
14 In trivióque ſedens, huc huc accede, viator,
15 Clamat, & illa virum ſenſu & ratione carentem
16 Captat, & illaqueat blandæ dulcedine linguæ.
17 Furtivæ, ſic inquit, aquæ quam dulce bibuntur?
Quam ſumpta in latebris oblectant fercula cæcis?
18 At miſer iſte ſuæ cæcatus amore ruinæ,
Neſcit in his latebris crudeli tabe peremptos
Eſſe viros, ſtygii tenebríſque jacere ſub Orci.

CAP.

CAP. X.

Quiſquis ubique hominēs cupidas advertite mentes,
Hæc Solomon moriens celeberrima dicta reliquit.

LÆtificat prudens genitorem natus, at ægram
Mentis inops luctu facit intabeſcere matrem.

2 Nequitiæ effugium non præſtat copia nummi,
Sed ſua quemque rapit pietas à faucibus Orci.

3. Non patitur mala dura famis conſumere juſtum,
Sed ſceleratorum gazas Deus abjicit amplas.

4 Pauperiem trahit ille, manum quicúnque remittit,
Gnava ſed innumeros manus accumulabit acervos.

5 Ille ſapit, meſſem qui in tempore carpit, at, hora
Qui torpet ſomno æſtivo, ſit cauſa pudoris.

6 Qui benedicit, erit benedictus, at ore protervo
Qui maledicta vomit, ſibi procreat ipſe ruinam.

7 Inclyta fama memor celebrat poſt funera juſtum,
Sed maledicta mali poſt funera fama putreſcet.

8 Vir ſapiens juſtos monitus admittit, at alta
Frivola qui blaterat, ſubitò cadet ille ruina.

9 Tutùm carpit iter, qui recta capeſſit, at altis
In tenebris concepta diem fraus cæca videbit.

10 Qui

10 Qui nictat, miſerum affligit mœrore, ſed alta
Frivola qui blaterat, ſubito cadet ille ruina.

11 Juſtorum os fons eſt vitali flumine abundans,
Sæva ſed aſperitas exundat in ore malorum.

12 Excitat inſanas odii truculentia lites,
Sed jucundus amor placidè vitia omnia velat.

13 Noſcitur ipſe ſuæ ſapiens virtute loquelæ,
Terga at vaniloqui rigido cædenda flagello.

14 Prudentes, veluti gazas, divina recondunt
Juſſa, ſed ora neci, vitiis addicta, propinquant.

15 Dives opum carpit velut altâ in turre quietem,
Sed vacuam ære manum miſerè ſua perdit egeſtas.

16 Ducit ad æternam juſtorum induſtria vitam,
Sed peccata mali pariunt, peccata pudorem.

17 Vitæ inſiſtit iter, qui dat monitoribus aurem,
Sed reprehenſorem placidum qui reſpuit, errat.

18 Qui ſermone odium blando circumlinit, & qui
Probra injuſta vomit, pariter ſtulteſcit uterque.

19 Peccatum haud aberit, nimium ſi verba redundant,
Qui ſapit, ille ſuam didicit frænare loquelam.

20 Argento ſimilis purgato eſt lingua piorum,
Sed minimi eſt pretii pravorum ignobile pectus.

21 Juſtorum eloquium multis alimenta miniſtrat,
Sed quia mente carent, ſtultorum turba peribunt.

22 Auxiliante Deo creſcit bona copia rerum,
Nec tamen interea dolor anxius urit habentem.

23 Turpe patrare ſcelus ſtolido jocus eſſe videtur,
Sed pietas aliis ſapientem moribus ornat.

24 Quæ ventura ſibi timet impius, hæc eadem illi
Contingent, veniétque bonis optata voluptas.

25 Turbinis inſtar abit vacuas ſceleratus in auras,
Juſtus at æternam tenet uſque in ſæcula ſedem.

26 Lumina ceu fumus, dentes offendit acetum,
Haud aliter gravis eſt piger imperitantibus ipſi.

27 Prorogat humanam domini reverentia vitam,
Impius at cadet ante diem, & truncabitur annis.

28 Vir bonus aſſequitur ſperatæ gaudia vitæ,
Sed ſpes vana mali vacuas volitabit in auras.

29 Lex divina bonis animos & robur adauget,
Certa ruina manet fraudis ſcelerúmque miniſtros.

30 Nunquam expulſa fugit pia gens, ſed turba malorum
In nullis diuturna tenent habitacula terris.

31 Proditur ore pio puri ſapientia cordis,
Sed lingua ex merito pravorum exſecta peribit.

32 Novit grata loqui juſtorum turba virorum,
Sed mala verba vomit gens impia voce proterva.

CAP.

CAP. XI.

FAlſa bilanx rerum Domino, qui cuncta gubernat,
Exoſa eſt, ſed juſta bilanx eſt grata voluptas.

2 Dedecus atque pudor, faſtu ſurgente, ſequuntur,
Vera at corde humiles ſapientia tollit in altum.

3 Integritas tutum in mediis facit eſſe periclis
Juſtum, at mens ſcelerata ſuam parit ipſa ruinam.

4 Nil in divitiis opis eſt, ubi numinis ira
Ingruit, at pietas lethi de fauce revellit.

5 Juſtitia eſt rectrix homini, qui recta capeſſit,
Conſiliíſque ſuis ibit turba impia peſſum.

6 Juſtitia incolumem in quovis diſcrimine juſtum
Reddit, at ipſa ſuo in laqueo gens prava tenetur.

7 Expectata diu pravos à funere fallunt,
Et male ſpes concepta malos in morte relinquit.

8 Juſtus ubi exierit diſcrimine, pravus in illud
Incidit, atque cadens capitur, captúſque tenetur.

9 Vicinum trahit in laqueos, qui corde doloſo eſt,
Sancta ſed incolumem præſtat ſapientia juſtum.

10 Proſpera cum juſto veniunt, urbs læta triumphat,
Et pæâna canunt homines, pereunte ſceleſto.

11 Sanctorum fœlix benedictio proſperat urbem,
Urbem autem ſtygiæ ſubvertunt toxica linguæ.

12 Mentis inops ſocio verbis inſultat iniquis,
Sed ſapiens juſto cohibet moderamine linguam.

13 Non retinet patulâ commiſſa fideliter aure
Garrulus, at celanda tegit vir mente fideli.

14 Conſultore carens populus ruit, aſt ibi tutum
Præſidium reperit, monitorum ubi turba redundat.

15 Sub titulum qui ſeſe aliorum nomine mittit,
Plectitur: exoſus vadimonia, tuta capeſſit.

16 Fœmina ſancta ſuum tenet inviolata decorem,
Magnanimique viri norunt bene parta tueri.

17 Vir bonus in miſeros, ſibi gaudia læta miniſtrat,
Torquet at ipſe ſuam crudelis pectore vitam.

18 Non fructum optatum ſceleris turba impia carpit,
Sed quem recta juvant, venit huic certiſſima merces.

19 Juſtitia ut vitæ vera eſt via, ſic quoque gaudens
Impietate, ſuam ſibi procreat ipſe ruinam.

20 Reſpuit Omnipotens hominem, qui corde protervo eſt,
Sed quem recta juvant, illi eſt jucunda voluptas.

21 Impius haud meritam quovis molimine pœnam
Effugit, at ſævo eripitur gens ſancta periclo.

22 Aurea porcino veluti gemma addita roſtro,
Sanâ mente carens mulier formoſa videtur.

23 Expectata bonis veniunt, meritámque ſceleſtus,
Spe pereunte, Deo patitur ſub vindice pœnam.

24 Eſt amplas qui ſpargat opes, ſed ditior exit,
Eſt quoque parca manus nimium, quæ reddat egenos.

25 Largus opum cumulabit opes, aliena benigne
Arva rigans, propriis largè ille rigabitur arvis.

26 Qui ſata clauſa tenet, populo maledictus ab omni eſt,
Sed paſſim benedictus erit, qui vendit egenis.

27 Quærendi ſtudioſa boni ſibi corda favorem
Conciliant, quærítque ſuam gens prava ruinam.

28 Præſidio qui fidit opum, cadet ille, ſuarum,
Juſtus at irriguo floret ceu ramus in horto.

29 In ſua qui ſævit, vento potietur inani,
Cogetúrque viro ſtolidus ſervire ſagaci.

30 Gens pia vitaî producit amabile lignum,
Et ſapit is, qui animas lucratur morte carentes.

31 En etiam in terris juſtos ſua pœna manebit,
Quid patiendum igitur fraudis ſcelerúmque miniſtris?

CAP. XII.

QUI monitis aures adhibet, vir pectore ſano eſt,
Sed bruti inſtar habet, pia quem reprehenſio lædit.

2 Vir bonus eſt carus Domino, ſed corde malignus
Illi odio eſt, meritámque dabit pro crimine pœnam.

3 Impietate virum ſtabiliri haud viderat ætas
Ulla, ſed æternis pietas manet integra ſæclis.

4 Ceu regale viro diadema eſt fœmina prudens,
Atque pudenda viri tabes eſt oſſibus hærens.

5 Ut decet, ut juſtum eſt, pia ſunt conſulta piorum,
Sed ſcelerata dolos meditatur turba malignos.

6 Lingua maligna ſitit cædem, ſed lingua piorum
Ipſos horrifici rapiet de faucibus Orci.

7 Diffluit, & ſubitis cadit impia turba ruinis,
Contra at firma manent habitacula juſta piorum.

8 Prudens laude ſuâ merito florebit, at imo
Impietas nutrita ſinu contempta jacebit.

9 Quicunque officium, quanquam ſervile miniſtrat,
Eſt melior, quam ſæva fames, quæ turgida faſtu eſt.

10 Juſto haud negligitur pecorum vel cura ſuorum,
Impius at ſimulans miſereri, eſt corde cruentus.

11 Qui ſua rura colit, ſaturabitur ille ciborum,
Sed qui eſt mentis inops homines ſectatur inanes.

12 Fraudibus illaqueare alios vir impius optat,
Sed benefacta viri pariunt, bona germina, juſti.

13 Impius ipſe ſuâ illaqueat ſe in retia linguâ,
Sed medio emerget pietas erepta periclo.

14 Vir bonus ipſe ſui fructu ſatiabitur oris,
Et potietur ovans manuum mercede ſuarum.

15 Stulto viſa ſua eſt via recta, at pectore ſano eſt,
Conſiliis quicunque bonis non abnegat aurem.

16 Stultorum ira cito patefit, ſed pectore prudens
Cæcâ nocte tegit, poſſunt quæ afferre pudorem.

17 Vera loqui quemcunque juvat, juſto ore profatur,
Ficta ſed eloquitur falſus mendacia teſtis.

18 Sunt queis lingua truci proſcindit acutius enſe,
Sed miſeris affert ſapientum lingua ſalutem.

19 Verax lingua manet longum ſtabilita per ævum,
Sed ficti pravíque tenax ſpatium breve durat.

20 Impia turba dolos tacito ſub corde volutat,
Sed ſibi lætitiam, quos pax juvat alma, procurant.

21 Nil male continget juſtorum in ſæcula genti,
Sed fructum ſceleris carpet ſceleratus amarum.

22 Falſa loquela Deo eſt odio, ſed conſona menti
Vox ubi verba refert, illi eſt jucunda voluptas.

23 Prudentis medio latitat ſapientia corde,
Stultitiámque ſuam ſtultorum pectora produnt.

24 Alta laboriferæ ſcandunt moderamina dextræ,
Verum ignava manus pendit ſervile tributum.

25 Pondere triſtitiæ cum cor mortale gravatur,
Lætificis viget alloquiis, animóſque reſumit.

26 Dignior eſt longè ſocio vir juſtus, at illos,
Quos via prava juvat, miſerè ſuus abſtrahit error.

27 Venando ſibi capta piger non ignibus aſſat,
Impiger at multo ſibi parta labore tuetur.

28 Juſtitiæ recto graditur qui in tramite, vitam
Aſſequitur, mortíſque procul fugit ille periclo.

CAP. XIII.

Fllius eſt prudens, patri qui recta monenti
Aurem adhibet, ſed conſiliis malus obſtruit aurem.

2 Vir bonus ipſe ſui fructu ſatiabitur oris,
Sed ſibi damna ſuis parit impia lingua loquelis.

3 Tutus agit vitam, qui ſcit frænare loquelam,
Sed nimium patefacta parit ſibi lingua ruinam.

4 Optat habere piger fruſtra, ſed copia dives
Sedulitatis erit merces, fructúſque laborum.

5 Sunt odio juſtis falſæ mendacia linguæ,
Impius at ficto ſibi procreat ore pudorem.

6 Juſtitia eſt rectis animi, tutela, ſed atrum
Exitium impietas ipſis autoribus affert.

7 Eſt qui jactat opes, dum nil habet, eſt & egenum
Qui ſe conqueritur, dum copia dives abundat.

8 Humanam redimit nummorum copia vitam,
Sed vacua ære manus contemnit recta monentem.

9 Gloria juſtorum radianti lumine ſplendet,
Sed ſubitò lampas pravorum extincta jacebit.

10 Procreat inſanas inflata ſuperbia lites,
Sed prudens recto frænat moderamine linguam.

11 Dilabuntur opes malè partæ, at copia nummi,
Quam juſtus peperit labor atque induſtria, creſcit.

12 Spes dilata gravat pectus mortalibus ægris,
Sed cum optata venit, vitæ fit amabile lignum.

13 Ibit in exitium, qui jus venerabile ſpernit,
Præmia ſed, legem ſacram qui obſervat, habebit.

14 Lex pia prudentum, fons eſt vitalis, ut atræ
Effugiant homines, illâ duce, retia mortis.

15 Conciliat meritum prudentia ſacra favorem,
Sed via plena malis ſceleratæ eſt impia vitæ.

16 Vir ſapiens prudenter agit, ſed pectoris expers
Stultitiam facit ipſe ſuam noteſcere cunctis.

17 Nuncius infidus miſeræ ſibi cauſa ruinæ
Fiet, at alma ſalus cunctis, qui corde fideli eſt.

18 Qui monitorem abigit, pudor illum & prendet egeſtas,
Sed qui aurem dat conſiliis, acquirit honorem.

19 Noſſe fruique Deo eſt ſanctis jucunda voluptas,
Sed piget injuſtos ſcelerata relinquere facta.

20 Prudentes ſectare, cupis ſi evadere prudens,
Sed qui ſe ſtolidis gaudet ſociare, peribit.

21 Prædia natorum natis tranſmittit habenda
Vir pius, ille tenet manibus congeſta malorum.

22 Copia larga cibi, tuguri ſub culmine parvi eſt,
Sed citò perdit opes, artem qui ignorat habendi.

23 Filius illi odio eſt, ſcuticæ qui parcit habenis,
Sed matura patris correptio monſtrat amorem.

24 Fercula lauta famem poſſint quæ vincere, juſtus
Sumit, at ingluviem ſequitur penuria diram.

CAP.

CAP. XIV.

ÆDificat, firmátque domum ſibi fœmina prudens,
Stulta ſed ipſa ſuis manibus cito diruit illam.

2 Ille Deum verè metuit, qui in tramite recto
Ambulat, ille Deum ſpernit, qui hinc devius errat.

3 Stultorum inſano faſtus dominatur in ore,
Sed pia turba ſuis evadit ſalva labellis.

4 Stercoris immundi purum eſt præſepe, ubi taurus
Nullus, at ex validi proventus robore tauri.

5 Impia non blaterat fidus mendacia teſtis,
Falſus at impavidâ fundit perjuria linguâ.

6 Deriſor quid ſit ſapientia quærere fruſtra
Sudat, at ante ſuos pia gens hanc cernit ocellos.

7 Averſare hominem ſenſu & ratione carentem,
Quamprimum ore vides vanas efferre loquelas.

8 Prudentes rectum ſapientia carpere callem
Inſtruit, at ſtolidos ſeducit devius error.

9 Peccatum eſſe jocum putat impia turba, ſed illum,
Qui dominum reverenter habet, vir ſanctus honorat.

10 Pectus amara ſibi quæ ſint bene novit, & ejus
Lætitiæ cauſas alieni haud cernere poſſunt.

11 Tecta cadent vastis pravorum impulsa ruinis,
Sed pia turba domos tranquillâ in pace tenebunt.

12 Est via quæ quamvis homini recta esse videtur,
In stygias errore vias, & tartara ducit.

13 Cor etiam in medio torquet cura anxia risu,
Gaudiáque illa gravem generant mutata dolorem.

14 Præmia digna ferat scelerum qui devius errat
Corde, piámque beant pariter sua præmia vitam.

15 Mentis inops cunctis adhibet sermonibus aurem,
Sed prudens animo librat, sibi quà sit eundum.

16 Vir sapiens metuit, scelerúmque à calle recedit,
Stultus at ipse suam incurrit fidendo ruinam.

17 Imprudenter agit, subitam qui ardescit in iram,
Et commune odium est, fraudes qui in pectore versat.

18 Stultitiam simplex, genuinus possidet hæres,
Sed pia prudentem sapientia laude coronat.

19 Ante bonos sese inclinat scelerata propago,
Et malus ante fores justorum inflexus adorat.

20 Pauper ubique jacet, sociis quoque vilior alga est,
Sed parit innumeros exundans nummus amicos.

21 Magna est culpa viri, socium qui spernit egenum,
Sed qui præbet opem miseris est ille beatus.

22 Qui mala corde coquunt, nonne illi immaniter errant?
Sed pax atque fides comitatur recta studentes.

23 Utilitas omni comes est adjuncta labori,
Sed quænam est soboles vani sermonis? egestas.

24 Gloria

24 Gloria prudentes, veluti diadema, coronat,
Stultitiæque ferunt ingloria præmia ſtulti.

25 Defendit miſeros verax à faucibus Orci
Lingua, ſed innocuæ mendax eſt prodiga vitæ.

26 Tutela & columen Deus eſt reverentibus ipſum,
Et natis illorum eſt anchora firma ſalutis.

27 Fons vitæ Domini timor eſt, ut retia mortis
Effugias, tutoque loces in tramite greſſum.

28 Ingens regis honos numeroſæ eſt copia turbæ,
Principis at populo decreſcit fama minuto.

29 Rex ille eſt dominúſque ſui, qui tardus ad iram eſt,
Stultus at eſt, ſubitas qui mox ardeſcit in iras.

30 Corpora ſana facit mens ſana, aſt omnia livor
Inficit oſſa, imas conſumit tabe medullas.

31 Autorem ille ſuum ſpernit, qui vexat egenos,
Sed miſeris concedit opem, qui numen honorat.

32 Impius in ſtygias fatali lege tenebras
Trudítur, at ſpes alma pium nec morte relinquit.

33 Prudentum in medio ſapientia corde quieſcit,
Sed ſtulti quæcunque gerunt, ſunt obvia cunctis.

34 Juſtitia eſt ingens generoſæ gloria genti,
Crimen at aſpergit populo cuicunque liturarn.

35 Attollit famulum ſapientem gratia regis,
Regis at ira premit, faciunt qui digna pudoris.

CAP. XV.

MOllia dicta trucis ſunt lenimenta furoris,
Sed ſera vox animos rabidam ſuccendit in iram.

2 Prudenter docet ore loqui prudentia cordis,
Prona ſed in ſtolidas ſtolidorum eſt lingua loquelas.

3 Quicquid agunt quocunque loco pravique bonique
Spectat ubique oculis dominus mortalia juſtis.

4 Lingua bona eſt vitæ prædulcis amabile lignum,
Indicium autem animi lingua eſt vitiata maligni.

5 Contemnit monitus vacuus vir mente paternos,
Sed ſapit ille, piis qui dat monitoribus aurem.

6 Juſtorum in domibus pretioſæ eſt copia gazæ,
Pravorum at miſero quatitur domus alta tumultu.

7 Diſpergunt monitus ſapientum labra ſalubres,
Sed non ſic faciunt malefanæ pectora turbæ.

8 Victima pravorum, Domino ingratiſſima rerum eſt,
Sed læta trahit aure preces, & vota piorum.

9 Semita pravorum, Domino eſt exoſa, ſed illos
Diligit ex animo, qui fas & jura ſequuntur.

10 Conſiliis adhibere bonis non ſuſtinet aurem,
Atque ideò moritur, recti qui jura relinquit.

11 Tartara nigra oculis divinis clara pateſcunt,
Quam clarè ergo hominum cernit penetralia cordis!

12 Non ſua reprendi gaudet malefacta ſceleſtus,
Conſiliiſque bonis facilem non exhibet aurem.

13 Cor lætum exhilarat vultum, at depreſſa dolore
Corda animi vires rapiunt, frangúntque vigorem.

14 Vir ſapiens quid ſit rectum juſtúmque requirit,
Sed ſtolidâ gaudet vanorum indagine ſtultus.

15 In luctu miſeri ac triſti mærore ſeneſcunt,
Sed cui cor hilare eſt, epulas habet ille perennes.

16 Recula, quâ fruitur recti mens conſcia, gazis
Eſt melior fraude & crudeli cæde paratis.

17 Pauper amans viridi recreatur dulcius herba,
Viſcere quam ſaturi dives ſine amore juvenci.

18 Incitat ore trucem ſæva vir mente furorem,
Sed litem alloquio dirimit, qui tardus ad iram eſt.

19 Semita pigrorum ſpinis horreſcit acutis
Undique, juſtorum contra via plana pateſcit.

20 Corda paterna puer ſapiens dulcedine palpat,
Sed matrem ipſe ſuam ſtolido qui eſt pectore ſpernit.

21 Stultitia eſt mentis vacuo jucunda voluptas,
Dirigit at recto ſapiens in tramite greſſum.

22 Si conſultor abeſt, bene cœpta evanida fiunt,
Metam at conſiliis tangunt firmata petitam.

23 Gaudia magna datum reſponſum in tempore menti
Procreat; O quanta eſt vox tempeſtiva voluptas!

24 Sublimi superóque pedes in tramite prudens
Collocat, inferni procul ut sit limite regni.

25 Tecta superba Deus pravorum everrit, at orbæ
Tecta viro viduæ cœlesti numine firmat.

26 Sunt exosa Deo gentis consulta malignæ,
Gentis at innocuæ lætâ bibit aure loquelas.

27 Dimit ipse suos, ardet qui lucra, penates,
Sed fœlicem agitat, qui spernit munera, vitam.

28 Justorum responsa parat prudentia pectus,
Impius at rabidæ effundit mala toxica linguæ.

29 Est procul à pravis Dominus, sed vota precésque
Justorum placidâ non durus suscipit aure.

30 Lux oculi cor lætificat, famæque benignæ
Gloria clara fovet carnem, recreátque medullas.

31 Qui monitis præbet facilem vitalibus aurem,
Cœtibus ille locum in sacris admissus habebit.

32 Illi anima est odio sua, qui contemnit honestum
Consilium, ille sapit qui paret recta monenti.

33 Te docet, ut sapias, Domini reverentia, fastum
Pone superbum animi, magnique sequentur honores.

CAP.

CAP. XVI.

COrde parare preces docet, atque his ore profusis
Dat responsa Deus; divinum munus utrumque est.

2 Omnia munda putat sua gens mortalis, at altî
Qui sedet arce poli, mentis penetralia librat.

3 Tu, quæcunque facis, rerum committe parenti,
Inceptisque tuis finem dabit ille secundum.

4 Destinat ipse suo Dominus, quæ fecit, honori
Omnia, quin pravos etiam ad mala fata paratos.

5 Elatos animo cunctos Deus ætheris odit,
Nec pœnam effugient, facto licet agmine certent.

6 Cum bonitate fides scelcris sordem abluit atri,
Æternique timor Domini vitia impia pellit.

7 Si tua facta placent Domino, qui cuncta gubernat,
Hostis atrocem animum vertens tibi reddet amicum.

8 Parca labore bono tenuissima regula præstat,
Copia quam innumeri, quam fraus congessit, acervi.

9 Cogitat ipsa viam sibi mens humana tenendam,
Sed regit humani Dominus vestigia gressus.

10 Regis inest sacris sententia dia labellis,
Nec probat ore nefas, nec aberrat tramite legum.

11 Justa

11 Juſta bilanx rerum Domini eſt, cuncta ille creavit
Pondera, jure igitur trutinam ſibi vendicat omnem.

12 Turpe patrare nefas juſto exſecrabile regi eſt,
Juſtitiâ ſolium quoniam ſtabilitur avitum.

13 Juſta labella piis merito ſunt grata voluptas
Regibus, atque favent homini rectum ore loquenti.

14 Mortiferi lictoris habet regalis adinſtar
Ira, ſed hanc prudens animi compeſcere novit.

15 Regis amor vitæ dat lumen amabile, mentem
Recreat, agricolam veluti ſerotina nubes.

16 O quanto eſt auro melius ſapientia lucrum?
Quam longè nivei pretio anteferenda metalli?

17 Juſtorum eſt via ſtrata, malis abſiſtere cœptis,
Et ſervare viam, eſt vitæ ſervare ſalutem.

18 Antevolat ſubitam mens faſtu inflata ruinam,
Et, lapſu veniente, animi tolluntur in altum.

19 Depoſito faſtu ad tenues accedere præſtat,
Quam ſpolia ampla viros inter legiſſe ſuperbos.

20 Ille bonum, qui res animo prudente miniſtrat,
Invenit, inque Deum fœlix quicunque recumbit.

21 Pectore qui eſt ſapiens, nomen prudentis habebit,
Doctrinamque fovet dulcis facundia linguæ.

22 Cognitio eſt vitæ ſcaturigo perennis habenti,
Verùm nil niſi ſtulta docent, & frivola ſtulti.

23 Prudentis docet ora viri ſapientia cordis
Intima, doctiloquis illum inſtruit illa labellis.

24 Dulci

24 Dulcia verba, favis veluti manantia mella,
Sunt jucunda animæ, recreant quoque corporis artus.

25 Eſt via, quæ recti ſub imagine fallit euntem,
Donec ad inferni tenebras ſeduxerit Orci.

26 Omne laborat opus ſibi quiſque, hoc poſtulat illum
Os, alimenta famis mala dura ut pellere poſſint.

27 Impius ore ſcelus per jurgia concitat atrum,
Ejus & in ſtygiis ardeſcit flamma labellis.

28 Impia voce ſerit ſceleratus ſemina litis,
Vincláque amicitiæ diſſolvit firma ſuſurro.

29 Vir ſocium alloquiis pravis violentus ineſcat,
Inque malas trahit ille vias ſermone maligno.

30 Claudit & ille ſuos, ſcelus ut meditetur, ocellos,
Progenerâtque nefas, ubi linguam in verba reſolvit.

31 Sunt canæ diadema comæ venerabile, juſtum
Si retinent, rectóque movent in tramite greſſum.

32 Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Mœnia, & heroas ſuperat vir lentus ad iram.

33 In germium ſors jacta cadit, ſed dirigit illam
Arbitrio Deus ipſe ſuo, qui cuncta gubernat.

CAP.

CAP. XVII.

ARida fruſta juvant, dulcem comitantia pacem,
Pluſquam epulis onerata domus, quam jurgia turbant.

2 In ſtolidum, ſerve O ſapiens dominabere natum,
Accipiéſque parem domini poſt funera ſortem.

3 Argentum & rutilum ſpectatur in ignibus aurum,
Sic hominem ſua fama probat virtute nitentem.

4 Vir malus & mendax ſceleratæ accommodat aurem
Linguæ, audítque libens promptum ad perjuria teſtem.

5 Autorem ipſe ſuum ſpernit, qui ridet egenos,
Suppliciúmque manet, damnis gaudentem alienis.

6 Gloria ſunt ſenibus proles numeroſa nepotum,
Gloria ſed pueris generoſum eſt ſtemma parentum.

7 Dedecet inſipidam verborum gratia linguam,
Quam minùs ergo decent magnum mendacia regem?

8 Donum inſtar lapidis pretioſi effulget habenti,
Et quocunque movet, ſequitur ſors proſpera, greſſum.

9 Qui peccata tegit jucundum nutrit amorem,
Sed qui digna pudore aperit, ſejungit amicos.

10 Plus longè opprobrium ſapientis vulnerat aurem,
Quam centum inflictæ ſtultorum in corpora plagæ.

11 Vir malus eſt ſimul ore procax, & corde rebellis,
Ergò manum injiciét crudelis nuncius illi.

12 Urſa homini occurrat potius, privata catellis,
Quam ſtultus, cum ſtultitiæ laxavit habenas.

13 Ille bonum quicunque malo compenſat, habebit
Séque domúmque malæ comitantia fata ruinæ.

14 Jurgia, per rimam ut revolubilis unda patentem
Sponte fluunt, igitur venienti abſiſtite liti.

15 Qui probat injuſtos, qui juſtos ore maligno
Improbat, hos pariter mundi Deus arbiter odit,

16 Cur ſtolido rectè ſapiendi occaſio fruſtra
Opportuna datur, vacuus dum pectore torpet?

17 Verus amicus amat miſeris in rebus amicum
Atque bonis, vinclum ſors dura haud rumpit amoris.

18 Mentis inops junctâ firmat temeraria dextrâ
Fœdera, próque ſuo ſeſe ſupponit amico.

19 Peccatum huic cordi eſt, quicunque eſt pronus ad iram,
Quærit & ipſe ſuam, cui mens elata, ruinam.

20 Nil fructus capit inde boni, qui corde protervo eſt,
Exitióque cadit, cui prava eſt lingua, tremendo.

21 Qui ſtultum generat, ſibi procreat ille dolorem,
Lætitiámque patri nullam dat ſtulta propago.

22 Cor lætum recreat, veluti medicamine corpus,
Oſſa ſed atque imas ſiccat mens fracta medullas.

23 Impius oblati tacitè donum accipit auri,
Ut patrocinio defendat prava maligno.

24 Ante oculos prudentis adeſt ſapientia coràm,
Sed ſtolidorum oculi per terræ extrema vagantur.

25 Filius eſt ſtolidus genitori cauſa doloris,
Et facit ille ſuam luctu intabeſcere matrem.

26 Non æquum eſt punire bonos, & plectere reges,
Cum pia jura colunt, legum & præſcripta ſequuntur.

27 Qui prudente animo eſt, parcum os habet ille loquendi;
Qui ſapit, ille gerit generoſam in pectore mentem.

28 Stultus ubi ora tenet, ſapiens prudénſque videtur,
Creditur eſſe animi, cohibet qui labra ſagacis.

CAP.

CAP. XVIII.

VIR ſapiens magno doctrinæ accenſus amore,
Illius abjunctus turbâ penetrale recludit.

2 Unde voluptatem ſtulto ſapientia præbet,
Hinc niſi faſtoſæ ut pateat veſania mentis?

3 Cum ſceleratus adeſt, pariter comes additur illi
Contemptus, faſtúſque ſupercilióque ſuperbum.

4 Inſtar aquæ manant ſapientum verba profundæ,
Atque ut fons, liquidos fundit prudentia rivos.

5 Non æquum eſt faviſſe malæ ſub judice cauſæ,
Judicióque piam falſo ſubvertere turbam.

6 Jurgia ſæva movet verbis lingua improba ſtulti,
Ejus & ora vocant ad fuſtim & verbera dextram.

7 Perniciem ſtultus proprio ſibi fabricat ore,
Et ſtruit ipſe ſuis ſibi retia dira labellis.

8 Vulnera ſæva facit veſano garrulus ore,
Vulnera, ad internas uteri penetrantia partes.

9 Qui piger eſt, operíque ſuo non ſedulus inſtat,
Hunc decoctoris fratrem appellare licebit.

10 Æterni nomen Domini eſt fortiſſima turris,
Currit in hanc juſtus trepidans, reperítque ſalutem.

11 Divis opes ipſi velut urbs munita videntur,
Altáque turrigeri referunt faſtigia muri.

12 Faſtoſo præeunte animo, mox hora ruinæ
Advenit, atque humilem ſequitur mox gloria mentem.

13 Rebus in ignotis qui dat reſponſa, priuſquam
Audiat, ille ſuum meritò parit ipſe pudorem.

14 Spiritus humanus potis eſt mala corporis ægri
Ferre, ſed ipſa animi patitur quis vulnera tracti?

15 Rimando reſerat rerum penetralia prudens
Pectore, & aure bibit leges, artémque ſciendi.

16 Munera grata viro venerandi in limina ditis
Dant aditum, & coram procerum conſiſtere vultu.

17 Qui prior accedit propriam defendere cauſam,
Juſtus, cum nondum ſocio ſcrutante, videtur.

18 Litibus imponit finem, dirimítque potentum
Jurgia, ad innumeros hominum ſors commoda caſu

19 Frater ubi meritam fratrem ſuccendit in iram,
Illa invicta manet, velut urbs circumdata muris.

20 Oris ab ipſe tui fructu ſatiabere ventrem
O homo, & à propriis venienti germine labris.

21 En linguam penes eſt vitæque necíſque poteſtas,
Quiſquis amat propriam, paſcat ſe hoc germine, vitam

22 Qui fidam uxorem reperit, dignam ille repertu
Rem reperit, Cœli hoc dedit indulgentia donum.

23 Blanditur pauper, precibúſque obnixus adorat,
Sed reponſa ferox dives tonat ore ſuperbo.

24 Quiſquis habet fidos, blandè compellet, amicos,
Hæret amicus enim propior quandóque propinquo.

CAP. XIX.

PAuper, in integræ graditur qui tramite vitæ,
Divite faſtoſo eſt melior, pietatis inani.

2 Luce carere nocet menti ; in delitia cæco
Qui zelo ruit, à vera ratione recedit.

3 Devia mens hominis trahitur cum errore ſiniſtro,
Bile tumet, rerúmque obmurmurat ille parenti.

4 Innumeri magnis opibus cumulantur amici ;
Sæva ſed à ſociis hominem ſejungit egeſtas.

5 Non ſceleris dignâ mendax mercede carebit
Lingua, nec effugiet meritam pro crimine pœnam.

6 Principis in magni ſeſe inſinuare favorem
Multi optant, omnéſque colunt ſibi munera dantem.

7 Oderunt inopem fratres, at quam procul omnes
Abſcedunt, fruſtra quos ore precatur, amici ?

8 Cui petitur multo ſtudio ſapientia, vitam
Diligit ille ſuam, multa hæc bona donat habenti.

9 Non ſceleris dignâ mendax mercede carebit
Teſtis, & interitum certò patietur acerbum.

10 Veſanum & mentis vacuum haud decet alma voluptas,
Quam minus ergo ſuis Dominos parere miniſtris ?

11 Novit

11 Novit atrocem animi prudens frænare furorem,
Injuſtúmque pati tacitus ſine murmure damnum.

12 Principis ira fremit, ceu vox horrenda leonis,
Sed favor inſtar habet ſparſi per gramina roris.

13 Filius imprudens genitori eſt cauſa doloris,
Imber & aſſiduus conjux eſt improba linguæ.

14 In ſobolem tranſmittit opes pia cura parentum,
At rerum à Domino donatur fœmina prudens.

15 Incidit in pigrum curis mens nuda ſoporem,
Eſuriétque manus, nulli quæ affixa labori eſt.

16 Servat & ille animam, qui leges juraque ſervat,
Sed moritur, cui nulla viarum eſt cura ſuarum.

17 Qui dat pauperibus, Domino dat mutuò, & illi
Credita certè iterum multo cum fœnore reddet.

18 Offenſas teneri, dum ſpes eſt, corripe nati,
Nec fletu lachrymíſque manum compeſcere cogat.

19 Pœna luenda viro eſt, rabidam qui eſt pronus in iram,
Nam ſervatus ubi ſemel eſt, mox denuò peccat.

20 Conſiliis aures adhibe, rectúmque capeſſe,
Ut ſapias, longámque trahas poſt funera vitam.

21 Scinditur in varias hominis mens anxia curas,
Firma ſed æterni Domini conſulta manebunt.

22 Non amor atque favor tenuis temnendus amici,
Longè etenim eſt melior mendaci divite pauper.

23 Dat vitam Domini timor, & cuſtodit in omni (pellit.
Tempore, & omne malum, cladémque & damna re-

24 Ignavus gremio impoſitis ſedet, ecce, lacertis,
Rurſus ad ora ſuam piget inde reducere dextram.

25 Percute voce tuâ pravum, ſimpléxque cavebit,
Prudentem reprehende virum, prudentia creſcet.

26 Qui patrem exhaurit, pellítque è limine matrem,
Dedecus ille parat natus, turpémque pudorem.

27 Conſiliis, mi nate, malis aurem obſtrue, quæ te
A recto deerare docent, pietate remotâ.

28 Impia lingua ſacri contemnit juris honorem,
Devorat ore nefas ſceleratæ inſania turbæ.

29 Pœna ſevera manet ſpretores ætheris alti,
Stultorum & meritas expectent corpora plagas.

CAP.

CAP. XX.

PEctora ludificat generoſi copia vini,
In furias ignémque ruit, qui illuditur illo.

2 Principis ira fremit truculenti more leonis,
Noxius ipſe ſibi eſt, illum qui irritat ad iram.

3 Eſt homini præclarus honos compeſcere litem,
Stultus at omnis amat rebus ſe inſerre alienis.

4 Frigora ſæva timens ignavus arare recuſat,
Ergo rogabit inops per meſſis tempora panem.

5 Intima cordis aquam referunt conſulta profundam,
Qua tamen illa trahat, ſapienti haud hydria deſit.

6 Unuſquiſque ſuæ præco bonitatis abundè eſt,
Sed quam pœne fides hominum commercia fugit?

7 Juſtus in integræ graditur qui tramita vitæ,
Poſteritate ſua fœlix poſt funera vivet.

8 Rex pius & juſtus, ſolio qui inſidit avito,
Diſſipat omne malum flammâ radiantis ocelli.

9 Ecquis in orbe poteſt ſic dicere; cor mihi mundum eſt,
Menſque manúſque mihi vacat omni à crimine prorſus?

10 Menſuræ variæ pariter, variæque bilances
Sunt odio rerum Domino, qui dilgit æquum.

11 Ipſe puer per facta docet puerilia, quali
Sit genio, num jura colat, num recta capeſſat,

12 Lucem oculos, aureſque ſonos admittere noſti;
Fecit utrúmque Deus pollentis robore dextræ.

13 Somno impone modum, ne te deprendat egeſtas,
Lumina clauſa aperi, ſic tu ſatiabere panis.

14 Vile eſt, emptor ait, vile eſt, ſed, merce receptâ,
Lætus abit, celebrátque hilari ſua gaudia plauſu.

15 Mirarísne aurum, & lapides Oriente petitos?
At gemma eſt pretioſa magis prudentia linguæ.

16 Veſtem, quâ tegitur, pro pignore ſumite ab illo,
Fœmina quem illaqueat alieni ſuccuba lecti.

17 Partus fraude cibus manat dulcedine primum,
Sed poſt ora replet, dentéſque infeſtat arena.

18 Conſiliis decreta bonis non irrita fiunt,
Si monitis rectis moveare, accingere bello.

19 Garrulus arcanum retegens circùm ambulat, ergo
Diſce cavere virum, blando qui ſubdolus ore eſt.

20 Quicunque ore patri aut auſit maledicere matri,
Illius obſcuris umbris erit obruta lampas.

21 Fraude dolóque poteſt ſubito res creſcere primum;
Sed rem fraude malâ partam mala fata ſequuntur.

22 Tu cave compenſare malum, ſed mente perennem
Expecta patiente patrem, dabit ille ſalutem.

23 Sunt exoſa Deo diverſæ pondera formæ,
Atque injuſta bilanx eſt indiguiſſima laudis.

24 Cum regat humani Dominus veſtigia greſſus,
Ecquid homo, quænam ſua ſit via, noſcere poſſit?

25 Præcipitat ſeſe in laqueos, qui prodigus ore
Vota facit, dein, facta an fas violare, requirit.

26 Impia ſacrilegæ ſapiens Rex agmina turbæ
Sparſa fugat, calcánſque rotâ victrice triumphat.

27 Spiritus humanus Domini eſt candela, ſuáque
Intima rimatur ventris penetralia luce.

28 Cana fides regem, placida & clementia præſtat
Incolumem, regíſque thronum prudentia firmat.

29 Gloria ſunt vires juveni, ſed magna ſenectæ
Gloria ſunt nivei ſparſi in caput omne capilli.

30 Triſte malum expurgat violento à vulnere livor,
Intima ſic uteri plagæ penetralia purgant.

CAP.

CAP. XXI.

IN dextrâ Domini cor eſt regale perennis,
Et flectit, quocunque libet, ceu flumen aquarum.

2 Quiſque hominum ſua facta probat, ſed rector Olympi
Optimus humani librat penetralia cordis.

3 Fas & jura ſequi, rectíque inſiſtere callem,
Gratius eſt longe Domino quam centum hecatombæ.

4 Faſtoſúmque ſupercilium, pectúſque ſuperbum
Peccatum eſt, hominíſque labor quicunque ſceleſti.

5 Turba laboris amans, animi ſe robore ditat,
Aſt operæ celeris fit pauper & indigus autor.

6 Quisquis opes falſo ore parat, ceu turbine venti
Jactatas diſperdet, & in ſua funera curret.

7 Impietate ſuâ prædatrix turba peribit,
Nam divina ſacri contemnit dogmata juris.

8 Ore procax, vultúque ferox, animóque proterva eſt
Impia turba; vacat manus & mens labe piorum.

9 Præſtat in excelſi latebris ſe abſcondere tecti,
Quam latas habitare domos, ubi fœmina jvrgat.

10 Impia delectat ſceleratam injuria turbam,
Nec ſocium oppreſſum in rebus miſeratur egenis.

11 Vir pius obſervat tecta alta domóſque malorum,
Subvertíque videt tandem impietate colentum.

12 Impia facta videns picti vir pectore ſimplex,
Hinc ſapere incipiet, ſapiénſque hinc doctior exit.

13 Qui duram occludit miſeris clamantibus aurem,
Ipſe etiam ſine fruge preces effundet inanes.

14 Clandeſtina trucem compeſcunt dona furorem,
Munus & in gremio violentam comprimit iram.

15 Fas & jura animum oblectant pietatis amantem,
Sed quibus impietas cordi eſt ſcelerata, peribunt.

16 Quiſquis ubique ſuos recto de tramite greſſus
Verterit, ille manet caſſam inter lumine turbam.

17 Turba voluptati nimium quæ indulget, egebit,
Nec multum auget opes oleæque & vitis amator.

18 Pro juſtis obſes datur impius, & redimendâ
Gens ſcelerata datur pretium pro gente piorum.

19 Incultos habitare locos atque arida teſqua
Eſt melius, quam litis amans ubi fœmina ſævit.

20 Prudentum in domibus gaza eſt oleúmque repoſtum,
Verum hæc ſtultus homo cineres conſumit in atros.

21 ~~Juſtitiæ rectíque ſequax, animóque benignus,~~
Juſtitiam, vitámque, altóſque acquirit honores.

22 Prudenti eloquio ſapiens urbana potentum
Præſidia, & vires verbo cito dejicit omnes.

23 Qui linguam oſque ſuum frænat moderamine certo,
Servat ab innumeris animam vitámque periclis.

24 Improbus ore, animóque ferox, & corde ſuperbus
Rite vocandus erit, rabidam qui fævit in iram.

25 Angitur ignavus ſine fine cupidine vanâ,
Ejus namque manus pigra eſt fugitiva laborum.

26 Quærit avarus opes ſoli ſibi nocte diéque,
Sed non parca inopi juſtorum eſt dextra precanti.

27 Victima quæque viri Domino eſt exoſa ſceleſti,
At quanto magis, hanc offert ubi mente maligna?

28 Ibit in exitium teſtis perjurus, at ille
Qui jam audita refert, conſtanti hæc mente tuetur.

29 Impius obdurans faciem in ſua funera currit,
Juſtus at in tuto veſtigia tramite firmat.

30 Conſilium & quævis animi ſapientia docti
Nil valet adverſus Dominum, qui cuncta gubernat.

31 Sanguinea eſt fortis ſonipes in bella paratus,
Verum certa ſalus Domino dependet ab uno.

CAP. XXII.

DIvitias longè bona fama ſupervenit amplas,
Et nivcum & rutilum ſuperant bona verba metallum.

2 Dives inopſque locum fors congrediuntur in unum;
Fecit utrumque opifex idem, pater ille perennis.

3 Venturum prudens videt, evitátque periclum,
Damna ſed in ſua mentis inops cæco impete fertur.

4 Mens faſtu vacua, & domini reverentia magnas
Divitias, vitámque altóſque acquirit honores.

5 Retibus & ſtimulis ſpinarum eſt obſita denſis
Semita pravorum, ſibi qui cavet abſtinet illis.

6 Quâ decet ire viâ tenero puer audiat ævo,
Atque illam haudquaquam, ſenio veniente, relinquet.

7 Pauperibus pollens opibus dominatur, & illos
Mutua qui accipiunt, danti ſervire neceſſe eſt.

8 Meſſis inanis erit mortali prava ſerenti,
Ejus & ira minax vacuam vaneſcet in auram.

9 Ejice deriſorem, & lis inſana quieſcet,
Cúmque ignominiâ probroſæ jurgia linguæ.

10 Pectore qui puro eſt, vacuúſque à crimine fraudis,
Huic linguæ ob dulces veneres rex ipſe favebit.

12 Lumina

12 Lumina clara Dei rectum juſtúmque tuentur,
Atque injuſta viri ſubvertit verba ſceleſti.

12 Ecce foris leo rugit atrox, piger inquit, in ipſis
Occidar plateis, tulero cum è limine greſſum.

13 Scortorum puteus fallax eſt lingua profúndus,
Quem premit ira Dei ſe præcipitabit in illum.

14 Stultitia innexa eſt puerili in corde, ſed illam
Virga inflicta manu patriâ procul inde fugabit.

15 Qui ſibi quærit opes, tenuem ſpoliando quiritem,
Muneribúſque colit dites, evadit egenus.

16 Vocibus aurem adhibe ſapienti ex ore profuſis,
Córque animúmque libens noſtris adverte loquelis.

17 Nam mea nectareâ manant dulcedine verba,
Hæc etiam ipſa tuis diſces efferre labellis.

18 Hæc tibi nunc hodie, tibi nunc patefacta recluſi,
Ut tua nixa Deo fiducia firma perennet.

19 Aurea nonne tibi peraravi hoc codice dicta,
Conſiliis monitíſque tuam dum dirigo mentem;

20 Ut tibi divini pateant myſteria verbi,
Utque docere alios, cupiunt qui inquirere, poſſis?

21 Tu miſerum, quoniam miſer eſt ſpoliare caveto,
Nec, quia robur adeſt, crudeliter opprime egenum.

22 Nam pater Omnipotens cauſam defendet eorum,
Et ſpoliabit, ab his ſpolium quicunque tulerunt.

23 Jure ſodalitii tibi ne conjunge ferocem,
Nec tibi ſit ſocius rabidam vir pronus in iram;

24 Moribus illius ne tu inficiare malignis,
Accerſáſque tuæ laqueos & retia vitæ.

25 Tu minimè cari ſias unquam obſes amici,
Nec vice tu alterius ſolvendo obnoxius æri.

26 Nam tibi ſolvendi ſi deſit copia, ſtratum
Cur tibi ſurriperet, recubant ubi corpora, lectum?

27 Limitem ab antiquis proavis dudum ante ſtatutum
Nequaquam remove, ſi cura eſt juris & æqui.

28 Quod ſi hominem videas, operi qui ſedulus inſtat,
Ille inter proceres, vulgo non ſtabit in imo.

CAP.

CAP. XXIII.

SI tibi forte datur magnatum accumbere menſis,
Appoſitas epulas attento lumine ſpecta:

2 Atque tuum, admoveas cultellum, ad guttur, acutum,
Si, ſtimulante gulâ, te concitat ardor edendi.

3 Fercula lauta animo quibus horum menſa redundat
Ne cupias, fallacis enim ſunt plena veneni.

4 Ne nimis augendis opibus tua corda fatiga,
Judiciíque tui dictatis fidere noli.

5 An bona vis oculis ſpectare evanida fixis?
Quid? quod opes fugiunt, aquilæ velut alta petentes.

6 Tu ne panem oculo ſpectantis carpe maligno,
Nec lautæ illius rapiare libidine menſæ.

7 Qualia mente putat, talem hunc ſcis eſſe, libenter
Mande, ait, atque bibe, at fraudem ſub pectore verſat;

8 Dulcia fruſta tuam revomes demiſſa per alvum,
Verbáque vana cadent blandæ fallacia linguæ.

9 Stultorum inſipidas ne fruſtrà effare per aures,
Nam tua contemnent penitus ſapientia dicta.

10 Limitis antiqui, caveas, ſtatione remotâ,
Patribus orborum puerorum invadere agellum:

12 Horum

11 Horum namque potens dextrâ eſt opibúſq; redemptor,
Is te in jus trahet, & peraget ſub judice cauſam.

12 Mentem intende tuam ſtudiis & rebus honeſtis,
Atque adhibe faciles rectis monitoribus aures.

13 Ne cohibe à puero juſtæ moderamina virgæ,
Non fato cadet ante diem, ſi corripis illum:

14 Percuties igitur virgâ puerilia terga,
Atque illum horrifici rapies à faucibus Orci.

15 Cor ſi, nate, tuum ſapiat, mihi lætitiâ cor
Geſtiet, atque animum palpabunt gaudia noſtrum.

16 Et mea ſaltabunt trepidis præcordia fibris,
Verba decora tuis cum ſunt effuſa labellis.

17 Ne tibi cor pungant ſcelerum, livore, miniſtri,
Sed domini ſacrum retine ſine fine timorem.

18 Advenient optata tibi, majoráque tandem,
Nec miſerè ſpes vana cadet, potiere petitis.

19 Nate, adverte animum, & quam dat ſapientia normam
Diſce ſequi, rectóque in tramite dirige greſſum.

20 Ne ſedeas inter turbam, quæ dedita vino eſt,
Et vorat immodico pretiolam gutture carnem:
21 Vaſtæ namque gulæ eſt, atque ebrietatis egeſtas
Filia, dat laceras lethæa ignavia veſtes.

22 Aurem adverte patri, qui te generavit, & illam,
Quæ peperit, ne ſperne, puer, cum elanguit ævo.

23 Doctrinam pietatis emas, ut recta capeſſas,
Sanctorúmque piis pretium poſtpone libellis.

Concipiet juſti genitor vehementia nati
Gaudia, lætitiam capiet, qui procreat illum:

De te lætus erit pater & tua mater, & illi
Quæ peperit, tacitum palpabunt gaudia pectus.

Cor mihi da, mi nate tuum, mea juſſa capeſſe,
Intentoque meos obſerva lumine greſſus.

Nam putei inſtar habet meretrix laſciva profundi,
Atque aliena refert anguſtam fœmina foſſam:

Clam ſtruit inſidias, veluti prædæ imminet auceps,
Multiplicátque ſuis vitiis peccata virorum.

Quis tacito ſub corde dolet? quis multa revolvit
Triſtia mente ſua? patitur quis jurgia linguæ
Aſpera? Quis ſtolidis effutit multa loquelis
Frivola? multa pati quis vulnera cogitur inſons?
Lumina cujus habent contractum bina ruborem?
Tempore queis longo in madidis hærere popinis
Mordi eſt, & variis accendere pectora vinis.
Tu nimium fixis oculis ne reſpice vinum,
Cum læto rubet ore, ſuum in cratere colorem
Cum dedit, atque alacri volvit ſua corpora motu.
Tandem atros adhibet morſus ſerpentis adinſtar,
Nec minus ardenti ſtimulo quam vipera pungit.
Spectabis, rabidum vino ſtimulante furorem,
Externas, oculo fractus patrante, puellas.
Intima peſtiferas effundent pectora voces.
Delirabúntque tuæ metuenda pericula vitæ,
Ut ſiquis medii recubaret in æquore ponti,
Aut in veliferi dormiret vertice mali,
Unde cito excideret ſubitâ veniente procellâ.

Precuſſêre meum, dices, crudelia corpus
Verbera, ſed nullum mihi tunc pepêrere dolorem,
Nec mihi ſenſus erat numeroſi vulneris ullus.
Quando his evigilabo malis? ſed mobile pectus
Eſt mihi, viua trahunt animum, repetóque popinas.

CAP. XXIV.

NE tibi livor edax ob proſpera fata malorum
Cor cruciet, nec te ſocium his adjungere tenta.

2 Namque dolos dirúmque nefas in pectore verſant,
Verbáque peſtiferis fundunt atrocia linguis.

3 Ædificat firmátque domum prudentia mentis,
Tectáque magnificis ſtabilit ſubnixa columnis:

4 Et coacervat opum cumulos ſapientia vaſtos,
Replet & innumeris ſpatioſa cubicula gazis.

5 Vir ſapiente animo fortì quoque robore præſtat,
Accumulátque ſuas prudenti pectore vires.

6 Conſilio ſuadente bono, gere martia bella,
Namque ibi certa ſalus ubi copia conſiliorum eſt.

7 Ingenium ſtulti ſuperat ſapientia, cœtu
Prudentum in medio non ora reſolvere novit.

8 Qui ſcelus atque nefas tacito ſub pectore nutrit,
Ille hominis meritò ſcelerati nomen habebit.

9 Impia crimen habent mentis conſulta malignæ,
Atque odio eſt hominum genti ſcurra improbus omni

10 Rebus in adverſis animo ſi forte fatiſcas,
Exiguum tibi robur ineſt: timidúſque pericli

11 Ni miſeros à morte trahas, ſi quando facultas
Eſt tibi, & horrifici rapias à faucibus Orci :

12 Si mendax falſo ore refers ; nil tale ſciebam ;
An non ille oculis latè mortalia juſtis
Qui videt, hæc tua facta notat ? vitæque perennis
Cuſtos an ille tuæ non hæc obſervat ? & omnes
Compenſare operum aſſuevit mercede ſuorum ?

13 Mel, mi nate, bonum quoniam eſt, dulcémque libenter
Mande favum, grato recreantem corpora guſtu.

14 Sic inventa tuam rapiet dulcedine mentem
Præmia digna ferens ſapientia, ſpémque coronans,
Optatíſque diu haud miſerè fraudabere rebus.

15 Ante fores ne ſterne viri vir improbe juſti
Inſidias : ejus requiem ne rumpere tenta.

16 Septenis vicibus juſtus cadit atque reſurgit,
Sed præceps cadit in ſubitam gens prava ruinam.

17 Hoſte cadente, tuam ne vana ſuperbia mentem
Inflet, neve malis miſeri inſultes inimici.

18 Ne fors cuncta oculis ſpectans Deus undique juſtis
In te iram à miſeri convertat clade inimici.

19 Ne tibi livor edax ob proſpera fata malorum
Cor cruciet, vano nec adurat pectora luctu.

20 Nam ſceleratum hominem merces non ulla manebit,
Illius & tenebras ſplendor vaneſcet in atras.

21 Tu dominum venerare Deum, Regémque verere
Legitimum, atque novis intentum avertere rebus
22 Tu populum ; ſubitæ cui mox venit hora ruinæ :
Quis cladem aut horum miſeram ſciat, hóſve ſequentum.

23 Hæc quoque prudentes decet abſervare: nec alto
Sanguine progenitum, aut humili de plebe quiritem

24 Lædere fas! quicunque malo ſic ora reſolvit,
Juſtus es, hunc populus circum undique devovet omnis.
Oderúntque homines Phœbo ſub utroque jacentes.

25 Sed reprehendenti facta impia, grata voluptas
Advenit; hunc ſequitur totum fauſto omine vulgus.

26 Quiſquis blanda animo reddit reſponſa benigno,
Oſcula dat cupidis illius quiſque labellis.

27 Tu ligna & lapides medio tibi collige campo,
Materiáque domum tandem molire parata.

28 Ne ſocium, teſtare, tuum quæ lædere poſſint,
Nullo urgente, tuis quenquam neque falle labellis.

29 Jure maligna malis factis ego facta rependam,
Præmia digna homini referam, ſi dixeris, erras.

30 Forte ego pampineum tranſibam deſidis hortum
Deſidis, & penitus ſenſu & ratione carentis.

31 Ecce illic lolium, & vacuæ dominantur avenæ,
Carduus, & ſpinis horrens paliurus acutis,
Lappæque & tribuli, disjectúſque undique murus.

32 Rudera ego hæc oculis contemplans turbida fixis,
Conſilium vitæ cepi mihi rite regendæ:

33 Sic ſecum loquitur, ſtolidâ quicunque laborem
Mente fugit, verum ſubitis fugientia plantis
Otia perſequitur, cupidóſque amplectitur ulnis:
Da paulùm laſſos oculos ſubmittere ſomno,
Da paulùm nutare mihi, nervóſque ſopore
Tendere defeſſos, veteréſque reſumere vires:

34 Sic

34 Sic tibi paupertas, tibi ſic penuria rerum,
Hoſtis ut inſtructus clypeo & fulgentibus armis,
Aut qui nocte tenet gladium contúmque viator,
Stulte, ſuperveniens, miſeram damnare quietem
Coget, & innúmeris cœlum lacerare querelis.

CAP. XXV.

HÆC etiam Solomonis erant dicta aurea, Regis Hezekiæ ſanctis quondam perarata miniſtris.

2 Gloria magna Dei eſt tenebris rem abſcondere cæcis,
Verum eſt regis honos, myſteria pandere rerum.

3 Alta Poli ſpatia, & quam tendat Terra ſub umbras,
Regum & noſſe animos, hominum eſt res invia menti.

4 Subtractam à niveo fæcem ſepone metallo,
Váſque labore ſuo dignum purgator habebit.

5 Regis ab aſpectu ſceleratam ſubtrahe turbam,
Et pia jura dabit, ſolio ſubnixus avito.

6 Regis in adſpectum ſubito ne te ingere greſſu,
Nec magnatum oculis offer te in luce videndum:

7 Præſtat ut hæc lætas reſonent tibi verba per aures,
Huc aſcende, gradu quam ſi inferiore loceris
Principis ante oculos, ipſo ſpectante pudorem.

8 Ne nimium ſis pugnæ avidus, ne forſitan alter
Vincat, inópſque animi, plenúſque pudore recedas.

9 Cum ſocio contende tuo, nec conſcius alter
Hoc ſciat: obſcuris arcanum abſconde tenebris.

10 Ne

10 Ne qui te audierit narrantem arcana, revelet
Illa palam, incutiántque tibi patefacta pudorem.

11 Eſt bene compoſitis inſignis gratia verbis,
Qualiter argentum decorant poma aurea pictum.

12 Gemma decora velut rutilo confecta metallo,
Morigerâ pius admonitor ſplendeſcit in aure.

13 Frigida nix grata eſt rabioſi in tempore ſigni,
Sic fidus recreat dominorum corda miniſter.

14 Se falſo quiſquis veſanus munere jactat,
Nubium adinſtar habet, ventorúmq; imbre carentum.

15 Multa diúque ferens pectus, regale movebis,
Oſsáque franguntur placidæ dulcedine linguæ.

16 Quantum ſufficiat capias de melle reperto,
Ne tu hoc forte vomas, nimium repletus edendo.

17 A ſocii deflecte pedem tu limine, ne ſors
Sis crebro reditu gravis, & dicare moleſtus.

18 In ſocium qui falſa ſuum perjuria dicit,
Malleus eſt, atque enſis atrox, & acuta ſagitta.

19 In malefidum hominem ſpes dura in ſorte recumbens,
Luxatóque pedi, fractóque ſimillima denti eſt.

20 Ut veſtem gelido qui in frigore tollit, acetum &
Nitro adjungit, ita eſt, qui cantat læta dolenti.

21 Eſuriat ſi forte tuus, ſiti átve inimicus
Eſuriem compeſce cibis, atque arida lymphis

22 Guttura: namque faces capiti ſuper illius addes
Ardentes, dominúſque etiam tibi præmia reddet.

23 Im-

23 Imbrem ablgit Boreas, tetrici ſic aſpera vultus
Ira fugat cupidam abſentes corrodere linguam.

24 Exigui præſtat latitare in culmine tecti,
Quam latas habitare domos, ubi fœmina jurgat.

25 Sunt longâ à terrâ bona nuncia, quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

26 Juſtus ubi ante pedes injuſti ſtratus adorat,
Eſt fonti aſſimilis, cum turbida flumina volvit.

27 Mel nimium eſſe nocet: ſic ambitione moleſta
Gloria conquiſita homini, non gloria vera eſt.

28 Ille animo qui jura ſuo dare neſcit, adinſtar
Urbis habet, lapſis fractæ circum undique muris.

CAP.

CAP. XXVI.

NIX velut æſtivo ſub ſydere, meſſis & imber (tur.
Tempore, ſic honor eſt ſtolido cum indignus habe-

2 Nec volucris gradiendo, fugam nec hirundo capeſſens,
Nec diræ venere preces, injuſta voventes.

3 Verber equo, frænos aſino, tergóque carentis
Senſu & mente viri virgas adhibere jubebo.

4 Si ſtolido reſponſa dabis, cum cauſa tacendi eſt,
Ipſe etiam ſtolidi nomen videare mereri.

5 Si ſtolido reſponſa dabis, cum cauſa loquendi eſt,
Efficies, ne plus nimio ſibi plaudat ineptus.

6 Quicunque officium ſtolido committit agendum,
Amputat ille pedes, damni bibit ille liquorem.

7 Imparia en oculis mutilorum crura videntur,
Talis in ore viri apparet ſententia ſtulti.

8 Tanquam ſaxa liget jaculanda in verbere fundæ,
Sic facit, immeritum ſtolido qui præbet honorem.

9 Qualis ſpina manum vinoſi incognita tranſit,
Talis in ore viri apparet ſententia ſtulti.

10 Maximus ille Pater divûm, qui cuncta creavit,
Præmia digna refert ſtolidis, ſceleríſque miniſtris.

11 Im-

11 Immundum ad vomitum canis ut parat ipſe regreſſum,
Sic ſtultus quoque ſtultitiam redeundo reſumit.

12 Quod ſi forte vides hominem, ſapientia cujus
Magna ſibi eſt, ſtulto magis inſanabilis ille eſt.

13 In plateis, ignavus ait, leo ſævus oberrat,
In mediáque viâ rabidi furit ira leonis.

14 Porta in cardinibus velut hinc atque inde movetur,
Sic piger in medio verſat ſua corpora lecto.

15 In gremio impoſitis reſidet piger, ecce, lacertis,
Rurſus ad ora ſuam piget inde reducere dextram.

16 At piger ipſe ſibi ſapientior eſſe videtur,
Quam ſeptem ratione viri ſua facta regentes.

17 Qui ſe, præteriens alienis litibus infert,
Ille homini eſt ſimilis catulum prenſa aure tenenti.

18 Ut paſſim furioſus homo ruit, atque ſagittas,
Atque faces & ſaxa jacit, mortemque minatur;

19 Haud ſecus ille facit, ſocium qui fallit, & inquit,
Nonne jocor, risúmque meis nunc excito verbis?

20 Flamma ut ſponte perit, caſſa eſt ubi femite ligni,
Sic pereunt lites, ubi garrula lingua quieſcit.

21 Carbones tanquam atque faces carbonibus addas
Igniferis, lites ita litigioſus adauget.

22 Vulnera lingua facit maleſanis garrula verbis,
Vulnera, ad internas uteri penetrantia partes.

23 Lingua ardens zelo pietatis, & impia corda,
Tecta velut nivei ſcoria ſunt teſta metalli.

24 Nequitiam quiſquis tacito ſub corde revolvit,
Diram blandiloquis fraudem occulit ille labellis.

25 Cum blandè alloquitur, tu ne male credulus audi.
Nam tacito ſcelera ille ſinu ſeptena recondit.

26 Quiſquis atrox odium vulpino tegmine velat,
Illius impietas illuſtri in luce patebit.

27 Incidet ille ſuæ ipſe ſcrobi, qui foderat illam,
Et ſaxum qui volvit, in illum exinde recurret.

28 Mendax lingua, quibus nocuit, ſimul oderat illos;
Oraque blanda gravem pariunt male credita cladem.

CAP.

CAP. XXVII.

CRaſtina cur jactes nimium, quando hujus ab ortu
Solis, ad occaſum tibi mox orientia neſcis?

2 Concelebrent aliena tuam præconia laudem,
Et lingua alterius, proprio laus ſordet in ore,

3 Saxum grande grave eſt, oneroſum eſt pondus arenæ,
Vincit utrumque tamen ſtulti furor iraque præceps.

4 Ira fremit, ſævítque furor crudeliter, at quis
Invidiam perferre poteſt, atque obvius ire?

5 Cenſurâ vitium reprehendere præſtat apertâ,
Quam tacitum occultare imo ſub corde favorem.

6 Qui ſatur eſt, vel mella favis manantia ſpernit,
Verum, urgente fame, quod amarum eſt, dulce videtur.

7 Qualis avis, proprio à nido ſi forſan oberrat,
Talis & eſt, quicunque ſuâ à ſtatione vagatur.

8 Unguentum exhilarat jucundo pectus odore,
Sic quoque corda boni monitis recreantur amici.

9 Tu ne linque tuum, nec amicum linque paternum,
Nec pete fraternum, cum ſors premit aſpera tectum.

10 Nam tibi vicinus forſan præſtabit amicus
Quod frater procul amotus, falláxque recuſat.

11 Nate ſape, atque animum rapies dulcedine noſtrum,
Et reſponſa dabo jacienti injuria probra.

12 Vir prudens ſua damna videns venientia, ſeſe
Subtrahit, at vir mentis inops ruit in ſua damna.

13 Illius in pignus veſtem accipe, debita ſiquis
In ſe aliena trahit blandæ meretricis amore.

14 Quiſquis voce ſuo elatâ benedicit amico,
Surgens mane, ſuum caput exſecrabile reddit.

15 Toto gutta die ſtillans è nubibus altis,
Et prona in lites ſunt bina ſimillima conjux.

16 Hanc quicunque nigris tenebris involvere, ventum,
Unguentumque ſui indicium dextra abdere certat.

17 Ferrum ut ferrum acuit, vultum ſic alter amici
Vultu acuit, fundítque novum per corda vigorem.

18 Qui ficum cuſtodit, edit quoque germina ficus;
Sic proprium qui obſervat herum, ſibi quærit honores.

19 Vultus ut in liquidæ ſimulatur imagine lymphæ,
Alterius ſic corda viri vir exprimit alter.

20 Nunquam Tartareæ ſit plena vorago gehennæ,
Humaníque oculi haud acies ſatiata videndo eſt.

21 Argentum & rutilum ſpectatur in ignibus aurum,
Sic ſua quemque virum ex merito præconia monſtant.

22 Stultum inter ſata piſtillo mortaria tundant,
Stultitiam tamen ille ſuam non linquere poſſet.

23 Armento pecudíque tuæ tu proſpice. Semper

24 An manet uſus opum? an diadema in ſæcula durat?

25 In campo apparent viridis nova pabula fœni,
Et terram tenerâ meditatur cuſpide gramen
Findere, & innumeræ ſurgunt in montibus herbæ.

26 Mollia dant agni teneras velamina lanas,
Et tua prata bona capræ mercede rependunt.

27 Sic tibi caprini ſuperabit copia lactis,
Teque domumque tuam quod paſcere poſſit abunde,
Et jucunda tuis præbere alimenta puellis.

CAP.

CAP. XXVIII.

DUM moti ad Lunam folii fugit impius umbram,
Conſcia mens recti ſuperat virtute leonem.

2 Mutat ſæpe ſuos gens ſeditioſa tyrannos,
Sed populum in longâ ſapiens vir pace gubernat.

3 Sic tenuis tenuem premit, ut quando imber aquoſus
Sternit agros, ſternit ſata læta boumque labores.

4 Collaudant pravos, legum qui jura relinquunt,
Sed qui jura colunt, iſtis ſe opponere gaudent.

5 Juſtitiam rectíque viam gens impia neſcit,
Illi at cuncta ſciunt, Domini qui nomen adorant.

6 Pauper in integræ graditur qui tramite vitæ,
Eſt melior, quam dives opum, qui eſt ore maligno.

7 Ille ſapit, qui jura colit, ſed quem juvat atræ
Dedita turba gulæ, patri incutit ille pudorem.

8 Qui cumulavit opes injuſto fœnore, debet
Has, inopes inter largâ diſpergere dextra.

9 Quicunque avertit ſacris à legibus aurem,
Reſpuit aure preces hujus Regnator Olympi.

10 In foſſam cadet ipſe ſuam, qui à tramite juſtum
Recto abigit, ſed proſper erit per ſæcula juſtus.

11 Dives agris, dives nummis ſibi pectore prudens
Ut videatur, eum ſapiens indagat egeſtas.

12 Plauſus ubique ſonat, turba exultante piorum,
Sed latitant homines, caput attollente ſceleſto.

13 Qui cæcâ ſua nocte tegit peccata, peribit,
Sed veniam inveniet, faſſus qui hæc ſponte relinquit.

14 Fœlix ille, ſacri cohibent quem fræna timoris,
Sed cadit in ſubitam mens indurata ruinam.

15 Ut Leo voce fremens, ut oberrans urſa, cruenti
Principis in miſerum furit haud ſecus ira popellum.

16 Princeps mente carens graviter plebem opprimit, at qui
Odit avaritiam, longos florebit in annos.

17 Fuderit humanum dextrâ quicunque cruorem,
In gelidum ruat, haud ullo retinente, ſepulcrum.

18 Soſpes erit, qui jura colit, qui recta capeſſit,
Sed cui curva ſequi cordi eſt, ſine fine peribit.

19 Qui ſua rura colit, panem ſaturabitur amplè,
Sed vanorum hominum affeclas urgebit egeſtas.

20 A multis benedictus erit vir corde fideli,
At non ſacra fames auri ſine labe manebit.

21 Mortalem timuiſſe virum, laudabile non eſt,
Panis ob exiguam peccare hoc incitat offam.

22 Qui feſtinat opes nimias cumulare, ſiniſtrum
Lumen habet, ſævámque famem haud inſtare tremiſcit.

23 Peccantem ex merito quiſquis reprehenderit, illi
Poſt favor hujus erit major, quam blanda loquenti.

24 Qui patrem matrémve ſuam populatur, & inquit,
Non ſcelus eſt, meruit decoctor nomine dici.

25 Incitat inſanas ventoſa ſuperbia lites,
Sed regi æthereo fiſum bona cuncta fovebunt.

26 Mente caret cordi proprio confiſus, at illi
Qui prudenter agit, Deus eſt tutela ſalutis.

27 Qui miſeris largitur opem, non fiet egenus;
Sed maledictus erit, vultum qui avertit egenis.

28 In latebras homines, caput attollente ſceleſto,
Confugiunt, illóque boni pereunte vigeſcunt.

CAP. XXIX.

QUI ſæpe admonitus, durâ cervice reſiſtit,
Mox cadit in ſubitam, nullo impediente, ruinam.

2 Exultat populus juſti cum jura miniſtrant,
Cum pravi moderamen habent, plebs integra luget.

3 Qui pia jura colit, lætum facit ille parentem,
Sed rem conſumit patriam, quem ſcorta ſequuntur.

4 Imperium firmat ſibi rex pia jura colendo,
Sed regnum ipſe ſuum evertit, quem munera cæcant.

5 Quiſquis adulatur ſocio ſermone benigno,
Illius ante pedes fallacia retia ſternit.

6 Eſt ſcelerati hominis laqueus cum crimine junctus,
Gaudia ſed cantu celebrat mens conſcia recti.

7 Juſtus cauſam inopis perpendit mente benignâ,
Impius at penitus cognoſcere negligit illam.

8 Turba ſuperba ſuam laqueis circumvenit urbem,
Sed populi inſanos ſedat ſapientia motus.

9 Si ſtolido incipiat ſapiens contendere verbis,
Seu ridet ſtolidus, ſeu ringitur ille, perinde eſt.

10 Proſequitur juſtos odio ſitis atra cruoris,
Sed ſitit humanam juſtorum turba ſalutem.

11 Omnia mentis inops cordis penetralia nudat,
Sed reticet ſapiens, donec venit hora loquendi.

12 Si Princeps faciles adhibet mendacibus aures,
Impietatis amor totum occupat undique regnum.

13 Æris inops ac dives opum, qui corde doloſo eſt,
Conveniunt: amborum oculos Deus ipſe recludit.

14 Rex inopum cauſas qui juſto examine penſat,
Illius æterno ſolium firmabitur ævo.

15 Per virgam & monitus pueri mens recta capeſſit,
Sin monitore caret, matri ſit cauſa pudoris.

16 Impietas creſcit, numero creſcente malorum,
Horum autem ſubitam cernet pia turba ruinam.

17 Corripe, crede mihi, natum, dabit ille quietem,
Ingentíque tuam capiet dulcedine mentem.

18 Plebs miſerè pereunt, ubi ſancta oracula deſunt,
Sed fœlix, qui jura Dei ſacrata tuetur.

19 Corripientis heri famulus nil verba moratur,
Ejus & errores tacitus ſine murmure ridet.

20 Túne vides hominem celeri nimis ore loquentem?
De ſtulto melius, quam iſto ſperare licebit.

21 A teneris famulum ſiquis forte educat annis,
Tandem longa dies facit illum evadere natum.

22 Concitat inſanas, pronus qui in jurgia, lites,
Multáque peccata accumulat furor iráque præceps.

23 Faſtus inanis humi ex alto dejecta recumbit,
Sed præclara humilem ſuſtentat gloria mentem.

24 Consilium quicunque coit cum fure, sibi ipsi
Est odio, metuens perjurum prodere testem.

25 Quod si forte virum timeas, formidine mentem
Illaqueas, sed fide Deo, tutamen habebis.

26 Principis exoptant multi meruisse favorem,
Sed super astra sedet, cunctis qui jura ministrat.

27 Odit ut injustum justus, tali impius odit
More pium, rectóque regit qui in tramite gressum.

CAP.

CAP. XXX.

HÆC ſunt verba Aguris, magnâ de ſtirpe Jakechi,
Verba pii ſacrata viri, quæ quondam Ithieli
Æternô Ithieli, æterno dixit Ucali.
2 Heu mihi! brutus ego cunctis mortalibus unus
Sum magis, humano vacua ah mihi pectora ſenſu.
3 Non unquam didici, quid ſit ſapientia, ſancti
Cognitione Dei mea nunquam imbuta fuerunt
4 Corda. Quis ætherei tranſcendit ſydera regni,
Deſcendítque iterum? pugno quis colligit auras
Ventorum varias, terras ubi turbine perflant?
Nube quis æthereas cohibet, ceu tegmine, lymphas?
Quis cuncta immenſæ ſtatuit fundamina Terræ?
Dic mihi, dic agedum, quo gaudet nomine magnus
Ille pater, magníque refer cognomina nati,
Si potis es, ſi tanta tuam ſapientia mentem
5 Incolit. Omne Dei purum eſt à crimine verbum;
Ille ſuo clypeo fidâ ſpe pectora ſulta
Protegit, adverſíſque vetat ſuccumbere rebus.
6 Illius caveas quicquam ſuperaddere verbis,
Ne te corripiat meritâ ſuccenſus ab irâ,
Atque infame tibi nomen mendacis inurat.
7 Te, duo, ſancte Deus precibus votíſque popoſci;
Hæc mihi, dum vivo, dum ſpiritus hos regit artus,
8 Da, precor: Omne mihi vanum falſúmque repelle,
Nec nimiæ mihi dentur opes, nec me urat egeſtas.

Nempe ſitim victuque famem compeſce modeſto,
Qui revocet lætúmque novet per membra vigorem:
9 Ne, ſi forte ſatur fiam, tua numina ſpernam,
Et, quiſnam Pater ille Deûm eſt? dicam ore profano.
Aut ne, ſi nimium graviter mî incumbat egeſtas,
Impia furta patrem, dextráque aliena rapaci
Surripiam, violémque Dei venerabile nomen.
10 Crimina tu ſervi domino deferre caveto,
Ne te devoveat, maledictáque juſta ſequantur.
11 Gens quædam eſt hominum, patri quæ dira precatur,
Nec matri. (Scelus O dirum!) benedicere gaudet.
12 Gens quædam eſt hominum, quæ purâ à labe videtur
Ipſa ſibi, at nondum ſordes tamen abluit atras.
13 Gens alia O quanto tollit ſua lumina faſtu?
Atque ſupercilio quantum eſt elata ſuperbo?
14 Gens alia eſt, quorum dentes gingiváque cultros
Et gladios referunt, miſerorum exſcindere gentem
Queis cupiunt, totóque inopes expellere mundo.
15 Gignit hirudo duas gaudentes ſanguine natas,
O date, conclamant, & adhuc date. Sunt tria quædam
Haud unquam ſatianda, etiam bis bina repleri
Neſcia ſunt planè & nunquam ſat habere fatentur.
16 Terra carens pluviis, venter ſine ſemine, buſtum,
Flammarúmque furor nunquam ſat habere fatetur.
17 Illudentem oculum genitori, juſſáque matris
Contemnentem habitans corvorum in valle caterva
Eruet, atque aquilæ juvenes illum ore vorabunt.
18 Sunt tria, quæ nequeo comprendere, quattuor imò
Sunt aciem ingenii longè ſuperantia noſtri.
19 Aera conſcendens aquilæ vis vivida, ſerpens
Altâ in rupe ſedens, currénſque per æquora puppis,
Concomitánſque virum, prohibenti nemine, virgo.

20 Sic

20 Sic mihi difficile eſt meretricis noſcere morem.
Exaturata cibo, terſis, ait illa, labellis,
Nil ego commito ſceleris, nil patro pudendum.
21 Sunt tria, quæ terram exagitant, ſunt quatuor illam
Quæ vexant, placidæque expellunt ocia pacis.
22 Servus ubi imperio ingenuis dominatur acerbo,
Stultus ubi immodicâ ventrem repleverat eſcâ,
23 Et mulier famoſa tori cum fœdera jungit,
Quæque ancilla ſuæ dominæ ſucceſſerat hæres.
24 Bis bina exiguo ſunt corpore, ſed tamen illa
Ingentes animos anguſto in pectore verſant.
25 Formicæ populus minimo ſunt robore, verum
Grana ætate legunt alacres, hyemíque reponunt.
26 Sunt tantum infirmo leporum gens corpore, verum
Ædificant in rupe domos, tutique quieſcunt:
27 Imperium in teneras exercet nemo locuſtas,
Sed tamen agminibus procedunt ordine junctis.
28 Aligeros hoſtes manibus comprendit arachne,
Regificique habitat ſpecioſa palatia tecti.
29 Sunt tria, ſunt etiam greſſu bis bina decore,
Quæ formoſa legunt medio veſtigia campo.
30 Hiſpidus ille leo, fortiſſimus ille ferarum,
Qui non terga fugæ, ſed pugnæ pectora præbet.
31 Et canis in vacuo volitat qui Gallicus arvo,
Hirſutáque caper barbâ, vultuque minaci,
Et Rex armipotens, cui nemo reſiſtere poſſit.
32 Si te ventoſis veſana ſuperbia pennis
Suſtulit, aut aliquid foviſti in pectore dirum;
Ori impone manum, & male conſcia lingua ſileſcat.
33 Butyrum liquidi lactis preſſura profundit
Sponte ſuâ, preſſ.ſque cruor de naribus exit.
Haud ſecus inſanas pariunt quoque jurgia lites.

CAP.

CAP. XXXI.

HIC Lemuelis adeſt divina prophetia regis,
Inſpirata Deo genitrix quam tradidit illi.
2 Te quid ego, fili, doceam quæ dogmata tradam?
Ex utero progreſſe meo, chariſſime fili,
Pro quo ſæpe Deum precibus votíſque rogavi.
3 Tu tua ne tribuas laſcivis robora ſcortis,
Sed regale genus perdentes effuge mores.
4 Non regum eſt titubare mero, non commoda res eſt
Principibus nimio caput oppreſſiſſe falerno,
5 O Lemuel, ne forte trahant oblivia potu,
Permittántque premi tenues vi & fraude potentum.
6 Tu miſeris gelidi poſitis prope limina buſti
7 Da potare merum: generoſo triſtia vino
Pectora lætificent, animóſque bibendo reſumant,
Dulciáque implacidas expellant pocula curas.
8 Pro mutis, ubi ſæva inſtant diſcrimina mortis,
Os aperi, juſtámque inopum defendito cauſam.
9 Os aperi, auxilio miſeros ſolare & egenos.
Præſidióque tuæ miſeris ſuccurre loquelæ.
10 O quibus in terris reperiri fœmina poſſit
Strenua? nam ſuperat lapides Oriente petitos.
11 Illi corda ſui fidunt ſecura mariti,
Nec metuit, ne clam ſpoliis lædatur ademptis,
Imminuátve ſuas furtiva injuria gazas.
12 Illa viro, dum vita manet, prodeſſe ſtudebit,
Et quacunque poteſt damnum ratione repellet.

13 Lanam

13 Lanam & lina quibus ſe exerceat, illa requirit,
Intendítque manus operi, cupidéque laborat.
14 Puppibus eſt ſimilis longinqua per æquora vectis,
Nam procul amotis mercem à regionibus affert.
15 Corripit ante diem è molli ſua corpora lecto,
Donec adhuc piceas nox latè exporrigit umbras,
Atque parat victum domui, partémque puellis
16 Dividit illa ſuis. Fœcundum obſervat agellum,
Tunc emit, atque opibus, manuum mercede ſuarum
Prodiga lætifici Terræ plantaria vini
27 Mandat, & illa ſuos circumdat robore lumbos,
Atque animi virtute manus & brachia firmat.
18 Cumque laboriferæ fructum ſe carpere dextræ
Jucundum videat, noctem adjicit illa labori,
Et longo exercet famulas ad lumina penſo,
Nec flammam ſinit illa mori, ſolatia noctis.
19 Illa colum retinet manibus, fuſúmque prehendit,
Fœminei indignans nulla inſtrumenta laboris.
20 Illa manus miſeris, placidéque extendit egenis.
21 Nec domui timet à nivibus, domus integra cocco
Induta eſt, calidóque fugat velamine brumam.
22 Exornat nitidis ſua corpora pulchra tapætis,
Sericáque & tyrio de murice tegmina geſtat.
23 Eminet ante alios ſpeciosâ veſte maritus,
Inter honorificum quoties ſedet ille ſenatum.
24 Lintea & illa facit tenuiſſima, factáque vendit,
Et mercatori pretio dat cingula digno.
25 Viribus induitur, claróque effulget honore,
Gaudia concipiet venturis magna diebus.
26 Os ubi blandum aperit, vocéſque effundit amicas,
Sub ſua jura trahit cunctos dulcedine linguæ.
27 Proſpicit illa ſuæ domui, nec dedita ſomno,
Atque labore vacans ignava per ocia nutrit

28 Inglu-

28 Ingluviem. Teneræ certatim aſſurgere natæ
Gaudent, & matri benedicere, & ipſe maritus
Sic illam alloquitur, meritis & laudibus ornat,
29 Permultæ fecêre nurus celebranda marito,
Sed tua fama alias longè ſupereminet omnes
30 Gratia formoſi eſt fluxa atque evanida vultus,
Sed domini metuens acquiret fœmina laudem.
31 Illi digna igitur meritæ date præmia dextræ,
Et paſſim illa operum celebretur laude ſuorum.

FINIS.

Some School-Books printed for Thomas Cockerill *in* Amen-Corner.

EUtropii Hiſtoriæ Romanæ Breviarium ab urbe Conditâ uſque ad Valentinianum & Valentem Auguſtos: Ex Recenſione & cum Notulis Tan. Fabri: ut & ſexti Aurelii Victoris de Viris Illuſtribus Liber, in uſum Scholarum. *Price* 1 *s.*

Engliſh Exerciſes for School-boys to Tranſlate into Latin; comprizing all the Rules of Grammar, and other neceſſary Obſervations, aſcending gradually from the meaneſt to the higheſt Capacity; by *J. Garretſon*, Schoolmaſter. The 7th Edit. Price 1 *s.*

The School of Manners, or Rules for Childrens Behaviour. By *J. Garretſon*, Schoolmaſter. Price 6 *d.*

Familiaria Colloquia operâ Chriſtoph. Helvici ex Eraſmo Roterodamo & alii ſelecta. Edit. XV. *Price* 1 *s.*

A Practical Grammar, or the Eaſieſt Way to Initiate Young Children in the Latin Tongue. Price 1 *s.*

In the Preſs, a Geographical Grammar, *&c.* by *Pat. Gordon*, M A. The 2d Edit. in *Octavo.* will be publiſhed in a Month.